



4702. III. d. f. 1. d.


✓

Honoratus (Honoré)
Fabri
(1607 - 1688)

fil. - retorica

(humanita e retorica)

Enevalic.



R. P. Honorati Fabri
è S. J.

EUPHIA NDER

seu

Vir ingeniosus K
Quem LIBRITHEA K

Cum Conclusionibus ex

Universa Philosophia palam
propugnatis

Nobilis, Eruditus, ac Perdoctus
Dominus JOSEPHUS MAR-
TINUZI, Carniolus

Labacensis

Præside

R. P. JOANNE BARBO-
LAN, è Societate Iesu,
AA. LL. & Philosophiæ Doctore,
ejusdémque Professore
emerito

Labaci Anno M. DCC. XXXII. 1132

In Archi-Ducali & Academico Lycae
utilitati publicæ dedit.

DIVO
ANTONIO
THAUMATURGO

Famæ, bonorum, salutis,
Phylosophiæ meæ
Duci, Patrono,
Cujus imperio ipsa
Natura paruit

DDD.



630051807

CONCLUSIONES.

Logica est scientia simpliciter speculativa. 2. Ejus objecum materiale mentis operationes, formale ratio veri, vel falsi. 3. Attributionis discretio evidens veri à falso. 4. Conceptus formalis distinctionis realis consistit in negabilitate duorum. 5. Non datur distinctio formalis ex natura rei, nec virtualis intrinseca. 6. Datur praeclara objectiva in substituto. 7. Nullum datur Universale formaliter tale à parte rei. 8. Sed fit per intellectum. 9. Veritas aut falsitas formalis habentur per actum & objectum. 10. Datur determinata veritas de futuris contingentibus. 11. Nulla propositio potest transire de vera in falsam, aut viceversa. 12. Solæ præmissæ evidentes necessitant intellectum ad assensum conclusio-
nis. 13. Possibilitas est rebus intrinseca, im-
possibilitas extrinseca. 14. Datur materia prima sensu Peripatetico; item formæ substantiales, etiam absolute. 15. Etiam partiales. 16. Ipsa elementa vulgaria constant potentia & actu. 17. Formæ mixtorum non viventium probabilius sunt respective. 18. Modi non sunt entitates superadditæ. 19. Dantur causæ crea-
tæ rigorosè agentes. 20. In distans agere non possunt. 21. Si supponatur rigorosa formæ produc-
cio, duplex actio totalis est possibilis. 22. Item produc-
cio sui ipsius quo ad secundum esse. 23. In hac suppositione Deus determinat ad in-
dividuum. 24. Non datur potentia obedientialis ad quemlibet effectum. 25. Omnis actio creati-

va repugnat creature. 26. DEUS essentialiter
connexitur cum creaturis possibilibus. 27. Re-
plicatio, & penetratio corporum supernatu-
raliter est possibilis. 28. Res vi solius replicatio-
nis non potest plus. 29. Vacuum actu non datur,
nec metus vacui. 30. Impeditur per gravita-
tem, & elaterium aëris. 31. Continuum com-
ponitur ex partibus intrinsecè indivisibibus,
ex trinsecè extensis. 32. Infinitum catego-
maticum actu datur pro statu possibilitatis. 33.
Repugnat pro statu existentiae. 34. Mundus
ab aeterno esse non potuit. 35. Terra quiescit,
sol moveatur. 36. Astra moventur actu ab in-
trinseco. 37. Elementa mixtis perfectis sensu
metaphysico insunt. 38. Nullum elementum
est positivè leve. 39. Impetus tum congenitus,
tum impressus est qualitas absoluta. 40.
Qualitates activæ sine impetu, & motu cor-
porum exponi non possunt. 41. Non tamen su-
peraddunt specialem qualitatem absolutam.
42. Effectus electrici, magnetici, sympathici
habentur ab effluvijs substantialibus. 43. Ra-
refactio per dilatationem pororum insensibi-
lium, 44. Intensio qualitatum activarum,
dempto impetu, per collectionem partium sub-
stantialium, earumque activitatem maiorem.
45. Bruta non sunt mera automata. 46. Anima
brutorum est substantia activa. 47. Divisibi-
lis. 48. Perceptio sensitiva in organis sensuum
inchoatur, in cerebro perficitur. 49. Anima
rationalis natura sua est spiritualis, immor-
talis, & incorruptibilis. 50. Existentia DEI
demonstrari potest, Cui Honor, & Gloria.

liter
.Re-
atu-
tio-
tur,
ita-
om-
bus,
ore-
-33.
edus
cit.
in-
nsu
um
tus,
40.
or-
su-
m.
tici
Ra-
bi-
n,
ub.
m.
na
bi-
m
na
or-
El



PRÆFATIO AUTHORIS ^{AD} INGENIOSUM LECTOREM.

T aliquam instituti mei rationem exponam, mi Lector, nihil arduum, & misericordum, nihil grande, & magnificentum, hoc loco aggredior: licet enim puerum instituendum, non susceperim, sed ingeniosum Adolescentem; eum tamen per invios, sublimesque tractus, per inaccessa viarum, per inania superætherea minimè duco; sed per tritatas, & faciles semitas, & ni fallor, tra mite recto: is enim sum, cui obliquæ, & longæ ambages displicant: si tamen alia commodior via occurrit, illam ini,

PRÆFATI O.

per me licet ; nec tibi , nec ulli mortaliū leges imponere statui : ut liberiorem Philosophandi modum laudare soleo , ità neminem hisce meis literariis institutionibus adstringi volo ; imò licet consiliis meis non acquiescas , ægrè non feram , dum tanien saniora sequaris : modò is evadas , quem te esse percupio , quacunque tandem via , & methodo illud obtineas , & tibi à me optatum finem consequaris , perinde est ; huc ego specto , de mediis parùm sollicitus . Totum opus in tres libros distinxī : in primo , ago de iis tum animi , tum corporis dotibus , quæ vel natura comparatæ sunt , vel extrinsecus Euphyandro acciderunt ; in secundo verò de iis , quas ille sibi proprio studio comparavit , ut vel inde ad literarum studia capessenda habilior evadat ; in tertio denique , de omnibus disciplinis , quibus navare operam debet : stylum adhibeo non omnino barbarum , sed facilem , & planum , prout res tulit : illum autem ordinem ini vi , qui accommodatior visus est ; aliorum

PRÆFATIO.

rum sensa , & sententias minimè con-
gessi : nec enim à me rescire vis , quid
alii sentirent ; sed quid ego de re ista
literaria sentiam , quid faceres . Ea sum
indole : meras nugas scribo , sed me-
as ; quid alii sentiant , apud eos faci-
lè invenies ; quid ego , apud me : quod
certè arrogantiæ tribuas nolim , sed
potius observantiæ , ac modestiæ , in
rebus alienis tractandis . Brevitatem
laudabis , ut spero , utpote quæ cum
claritate conjuncta est : rem hanc præ-
ter modum amplificare potuisse ; sed
frustra esset tanta libri moles ; viarum
compendia mihi summopere placent .
Cæterùm Euphyandrum hoc opus in-
scribo , hoc est , virum ingeniosum :
sic enim te , tuique similes compello ;
si fortè hic libri titulus tibi , vel cuipi-
am displiceat , aliud accerse : nec
enim de nomine contendam .

Aliud est , quod mihi opponi pos-
set : de viro scilicet ingenioso , ab eo
disputandum , ac differendum non es-
se , qui mediocri vix ingenio pollet :
fateor me talem esse , conscius tenu-
itatis

PRÆFATIO.

itatis meæ : hoc tamen non facit, quin
de optimo illo ingenio, jure meo age-
re valeam ; quasi verò illi omnes, qui
de militia egregiè scripsérunt, milites
ipsi extiterint ; de re nautica , nautæ ;
de rustica agricolæ ; de Deo , Divini.
Sæpe fit, ut raucus artem musicam pro-
bè calleat , & podagrâ correptus , sal-
tatoriam ; licet hic saltare , ille cane-
re non possit. Denique non deerunt
fortè aliqui , qui cùm excellens inge-
nium sibi vendicent , aliquot tamen
ex iis partibus careant , quas in Eu-
phyandro desidero , statim mihi litem
intendant ; sed neminem judico , ne-
que hic examen ingeniorum instituo ;
quisque suo gaudeat , non contradic-
co : ut nemini quidquam detrahere ,
ità nec affingere animus fuit. Sed ad
rem venio. Vale mi Lector ,
& Musis vaca.





LIBER PRIMUS,

De dotibus à natura Euphyandro insitis, vel extrinsecus acce- dentibus.

Ab hoc libro tractationem hanc auspicabor, in quo, de iis acturus sum, quæ Euphyandro à natura insita sunt, vel à parentibus, à magistris, à temporum ratione, vel casu aliquo accesserunt: nempe tria sunt, quæ in Euphyandro considero, naturam scilicet, indolem, educationem, fortunas, aliisque id genus, quæ cum in ejus potestate posita non sint, aliunde accipit; deinde industriam illam, quam adhibere debet, ut animum excusat v. g. diligentiam, patientiam, methodum, atque alia ejusmodi, quæ ab ipso exiguntur; tum denique artes, & disciplinas illas, quibus illum incumbere par est; hæc inquam tria sunt, quæ in adolescente ingenioso considero, & in hoc opere discussio, non sanè pro rei dignitate, quod meas vires longè superat, sed pro mea tenuitate, uicunque; saltem cum res breviter exponam, lectoris animum, & patientiam minime fatigabo.

CAPUT PRIMUM,

De interiori corporis habitu.

Liquorem illum, qui per venas, & arterias corporis nostri fluit, in quatuor humores Philosophi optimè distinxerunt, sanguinem scilicet, pituitam, & utramque bilem, flavam, & atram; licet enim succum illum, quo venæ turgent, communis sanguinis nomine appellemus, hoc tamen non facit,

cit, quia uni dumtaxat ex illis singulari jure idem nomen tribuamus: ut verò sunt quatuor humores, ità & quadruplicem humorum habitum distinguimus pro singulari singulorum exuperantia, sanguineum scilicet, biliosum, phlegmaticum, & melancholicum. Porro quis horum ad facultatem ingenii magis conferat, acerrima inter Philosophos controversia fuit: sunt qui primas melancholiæ tribuant, alii verò sanguini, bilem alii cæteris præferunt, ipsa demum pituita suis patronis non caruit: sed ut dicam, quod res est, singuli sua vitia, & suas landes habent; & ut aliqua in singulis probari, ita & nonnulla vitio verti possunt.

Melancholicus acrī pollet ingenio, laboris patiens est, res altè penetrat, inexplorata indagat, parturit inopinata, facile diuque meditatur, studiis tenaciùs adhæret, & longa mentis ruminatio quæfitas invenit, & digerit veritates; sed multiplici laborat vitio; vix mediocri pollet memoria, simulacra enim sicco cerebro non ita facile imprimitur, tædio non raro languescit, sibi ipſi insensus, & gravis, tardior est in conceptibus formandis, ita uni spartæ addictus, ut ab ea divelli nou possit, hinc multa simul complecti non vallet, nec animum ad disciplinas omnes applicare, quod tamen ab Euphyandro nostro desideramus. Biliosus alacriter rœm aggreditur, & citò perficit, facile invenit, difficultati non cedit, multo igne ardet, & luce splendet; mordacitas hujus humoris animum vellicat, sollicitat, & quasi scintillas elicit, uno verbo igneus est illi vigor, cuius sœcunda vis, multa, & nova ex tenebris in lucem edit; sed huic sua vitia non desunt, cæco impetu fertur in præceps, judicio in multis peccat, multa per inadvertentiam omittit, eaque incautum subterfugiunt, quæ omittenda non essent, cæca rabie corripitur, ubi suscepτæ res pro yoto non succedunt;

eret

errorum suorum amantior est, quam ut, ab iis liberari possit, aliorum contemptor minimè feren-
dus, liberalior sui æstimator, in ipsa rerum super-
ficie, & cute satui ad instar ignis discurrit, non ve-
rò altè scrutatur, ossa lingit, non frangit, ut inter-
iorem medullam gustet; aut certè si frangit, non
terit, non coquit, non digerit: hinc non raro im-
maturos, & agrestes fructus producit, quibus ma-
turandis calor certè non defuit, sed tempus. San-
guineus, temperator est, nec enim tanto fertur ima-
petu, quanto bilius; nec tanto, quanto melan-
cholicus, rigore obdurescit; mira facilitate musis
vacat, eodem semper mentis tenore incedit, non
repit humi, non fertur in ardua, sed medium tra-
ctum obtinet, tædio nunquam afficitur, quia illæ
omnia fugit, quæ tedium afferre possent: si plus
æquò difficultas obsistit, animum ad alia prudens
convertit; sed cuncta hæc mediocritatem non su-
perant, in qua tamen Euphyandrum nostrum siste-
re non patior, quem non modò mediocriter doctum,
sed omnibus disciplinis instructissimum esse deside-
ro. Pituitosus denique docilis est, & facile duci,
ac flecti se finit; hinc non parum sub eximio do-
ctori proficere potest, felici memoria gaudet, nec
bono caret iudicio; sed Euphyander ad majora na-
tus est, multum est, benè doceri, sed res fcire sine
magistro, & τὸ ἀδιδάσκαλον majus quidpiam est.

Itaque cum singuli humorum habitus sua vi-
tia; & suas laudes habeant, Euphyandro nostro
nullum animi vitium, sed laudem omnem idesse
velim; quare nec melancholicum, nec biliosum es-
se jubeo, sed id dumtaxat habere melancholie, &
bilis, quod ad literarum studia capessenda plurimum
juvet; ea sit melancholia, cuius frigiditatem suo ar-
dore bilis accendat; siccitatem pituita humore suo
diluat; & nimium austritatis rigorem, sanguis len-
tore suo caltiger; ea sit bile, cuius nitionem ardo-
rem

rem sua frigiditate phlegma extinguat; cæcum impetum, sua tarditate melancholia siflat; & nativam acrimoniam, sanguis dulcedine sua leniat: ea sit puita cujus inertiam flava bilis suis stimulis excitet, atra verò fluiditatem sua siccitatē contineat; & sanguis suo melle insulsum saporem condiat; eo sit demum sanguine, cujus levitatem atra bilis suā gravitate compenset, & flava suo impetu debiliores vires extollat; uno verbo cujuslibet habitus prærogativas habeat, imminutam exuperantiam, auctam verò defectionem; sit temperatus, sed quolibet temperaturæ genere; excellat denique, at sine ullo excellentiæ vitio: nec est, quod aliquis Geometricam quamdam, & accuratam humorum temperiem, seu conjugationem desideret; nam res Physica, qualem hoc loco tractamus, tam accuratæ proportionis patiens non est: quisquis proximè accedit, vel non procul abest, pro eo habetur, qui medium quæsitum attingat; adde, quod Chimæra fortè est, quam in rerum natura nemo inveniat. Itaque, ne tam arctis kringamur angustiis, hæc humorum conjugatio, seu proportio, suam extensionem, & latitudinem habet, nec, ut ajunt, in individuo, vel indivisibili posita est, suos gradus, & distinctas rationes complectitur; multi enim Euphyandri esse possunt, quamvis inter se dissimiles sint, & unus alio ingeniosior esse potest. Phœnicem minimè describo, nec Ciceronem, vel Aristotelem, sed hominem, cui multi similes esse queant; modò igitur cujuslibet humorum habitus, seu temperamenti, ut vocant, vitia castigentur, quantum res Physica ferat, ille est habitus, quem in nostro Euphyandro desideramus.

C A P U T II.

De indole animi.

EX interiore corporis, ac humorum habitu, nascitus indoles; hoc est, vis quædam, seu propensio

pensio ad certos motus appetitus , animique affe-
ctus ; sic quædam indoles ad lætitiam , & hilarita-
tem nata est ; ad tristitiam alia , sic nonnullis soli-
tudo , aliis societas , & colloquia placent ; aliqui ad
iram , alii ad desidiam nati esse videntur : sunt qui-
bus lauiores epulæ , aucupium , venatio , ludus , lu-
dicra , seria , atque alia hujusmodi plurimum arrident ;
hi voluptate tabescunt , illi sordescunt avaritia , alii
superbia intumescunt ; uno verbo pro varia indole ,
variis variis delectantur : ut autem rectam indolem Eu-
phyandro nostro assignemus , illa dumtaxat tribuen-
da est , quæ ad omnium studia literarum aptissima :
quænam verò aptissima sit , non ita facile dictu est .

Erunt fortè qui lætam , hilarēmque indolem
cæteris præferant ; sed sine vi aliqua , literis non
famulatur , quippe lætitia distrahit animum , quem
literæ , ut sic loquar , maximoperè contrahunt .
Præterea fallendi temporis occasionem hilarioris in-
dolis adolescens sæpiissimè eaptat , item confabu-
landi , ambulandi , &c. otium amat , ludicris , &
jocis delectatur , nec animum remittit , ut deinde
majore vi , ac nervo studiis operam navet , sed ne
aliud majoris operæ negotiū agat , nec relaxatio-
nem , ut ajunt , recreationis , sed occupationis , ac
negotii locò habere videtur : adde quod hujusmodi
indoles levis est , ut plurimum , & scurrilitati ob-
noxia ; sed minus Mercurii , plus verò plumbi , Eu-
phyandri cerebro inesse velim , quem tamen tristis ,
ac mœstæ indolis esse non patior ; nempè tristitia ,
non ossa modò exsiccatur , ut sacræ testantur literæ ,
verùm etiam quidquid inest optimi , ac generosi suc-
ci , penitus exugit ; atque adeò animum contrahit ,
ut tantam disciplinarum amplitudinem tantæ an-
gustiæ capere non possint : solitaria indoles nonnulla
quæ placent , plurima , quæ displicant , habet ;
secessum quidem , & otia musæ amare , & quære-
re dicuntur , & vix mediocrem in literis progressam

quispiam facere potest, nisi longa, & diuturna meditatione profundissima scientiarum arcana penetrarit; ut verò meditationem societatis publicæ rumor, seu frequentis conversationis distractio plurimum turbat; ita eandem solitudo juvat, nutrit, defendit: itaque meliores, ut ajunt singulis diebus horas Euphyander meus solitudini concedit, in quam se recipit, ut in tutum quietoris animi portum, in qua se, suásque animi vires colligit, reficit, & liberiores cogitationes castigat: non tamen solitarium, & austерum Eremiticolum esse velim, quippe nimia solitudo efferat homines, & inhumandum quidpiam conciliat: adde quod in Doctorum hominum congressibus, academiis, colloquiis, vir ingeniosus plurima discit, quæ nunquam alias in mentem venissent; respondendi necessitas ea plerumque suggerit, seu parturit, quæ solitaria meditatio nunquam excogitasset: imò scire tuum nibil est, nisi te scire hoc sciatur alter; ipsa collatio errores aperit, si qui fortè latent; veritates, si quæ fortè adhuc obscuriores fint, abundè illustrat; uno verbo excitat auditor studium, & congressu obstetricante, vellicatus animus eos fœtus parit, quos reverà nunquam in solitudine peperisset.

Quod verò ad alias spectat indoles, avara, literis minùs apta est; illa enim aureas dumtaxat literas amat, & præauri pondo, cætera nullius momenti, vel ponderis esse dicit; sordida mens pretiosam illam scientiarum supellecilem capere non debet; ære graves curæ ad majora, & ardua affurgere vix possunt. Negotiosa omnino displicet, quisquis enim totum se negotiis dedit, nihil amplius illi est, cum Musis & litteris negotii. Vir negotiosus totum animum foras explicat, atque expromit, nihil residui est in eius, quod disciplinis concedat, quæ tamen totum hominem, & totum animum volunt. Voluptaria ad rem nostram ineptissima est, voluptas enim ex homi-

homine , suem , & canem facit ; quid porrò à sue , nisi grunnitum , à cane nisi vomitum expectares ? eadem etiam animum frangit , quem infractum esse literæ postulant ; equidem trahit sua quemque voluptas : nec Euphyandrum nostrum syrene , ac voluptate sua carere volo , sed honestam , & Archimedeam esse desidero : & verò hoc unum omni asseveratione affirmo , nullam esse inter humanas voluptates , quæ cum ea conferri possit , qua Euphyandi animus perfunditur . ubi novas explorat vias , nova naturæ aperit arcana , novásque invenit veritates .

Indoles venationi , vel aucupio plus æquo dedita , bruta quidem irrationabilia , non verò rationum momenta captat ; exercitationes illæ immoderatae corpus , & animum plus justo laxant ; laxior verò animus res solidas , earumque pondera non capit : de ludo nihil est , quod dicam ; si enim provinciæ nomine venit , non verò modicæ relaxationis loco habetur , jam ludus non est . sed res seria . Quod certè ab Euphyandro nostro valde alienum est : idem prorsus de diurnis conviviis , comedationibus , compotationibus , dictum esse velim . Nunquam Baccho cum musis benè convenit ; quidquid aliqui ex nostris Poëtætris obganniant , atque rustantur ; immodi vini fuligine cerebrum obscuratur ; quisquis demum vivit , ut bibat ; non vicissim babit , ut vivat , non modò Euphyandi , verùm etiam hominis ingenui nomine dignus non est . Itaque illa indoles in Euphyandro placet , quæ nec in exuperantia nec in defectione , sed in mediocritate consistit ; aliquot horas literis solitarius concedat ; aliquot curando corpori ; paucas relaxando animo ; de omni relaxationum genere infra dicam ; aliquot , doctis congressibus , nempè cum viris doctis sæpius agere , vix ac ne vix quidem dici potest , quantum profit : moderata quædam indoles in Euphyandro laudatur , quæ nec nimia laxitia

titia effuditur, nec immoda contrahitur mœstia; cui solitudo mirificè placet, sed docta non displicant colloquia, quæ nec avaritia sorbet, nec voluptate putet; uno verbo, quæ literas, & literatos in pretio habet, cum in rebus humanis nihil pretiosius esse videat; paulò tamen acriorem, & alacriorem esse velim, moderatam licet, & sui compotem; nempè illa vis acrimoniae animum, ut dixi vellicat, & sollicitat, nec in otio vivere permittit.

C A P U T III.

De cerebri constitutione.

ERUNT haud dubiè, qui non sine risu, & cachinnis, utinam sine sarcasmo, in præfixum huic capiti titulum oculos conjicient; quasi verò architectum aliquem accersam, qui desideratæ fabricæ ichnographiam delineet, seu potius protypon construat: tu verò mi lector rem, ut par est, seriò accipe; ut enim cerebrum cogitationum nostrarum singulare organum est, ita profecto dubitare non licet, quin varia illius dispositio, seu constitutio, & compositio humani ratiocinii plurimum variet facultatem. Sunt qui aliquid discriminis, hominum inter animas agnoscant, sed quantumvis id assertant, nullo unquam vel probabili argumento evincent, nempè homines ingeniosissimi, & gravissimo instructi Judicio, si forte, vel per æstum morbi delirent, vel insania corripiantur, ut non semel accidit, nullum haud dubiè perfectioris animæ indicium, vel argumentum præferunt: itaque suppono, ad perfectum ratiocinium, requiri, ut impressa cerebro phantasmata facile, ac ritè, non verò ægrè, aut tumultuosè excitari possint; cum enim nunquam cogitet intellectus, nisi sensus internus sentiat, nec iste unquam sentiat, nisi cogitet ille; haud dubiè, ut rectè, & facile intelligendi facultas operetur, sensum illum internum rectè, ac facile operari necesse sit.

Per-

Porro quonam modo phantasma impressum excitetur, vix haec tenus à Philosophis dictum inventio; licet quotidiorum doceat experimentum; quis enim non observavit, vel ut melius dicam, non sensit, phantasmata illa motu quodam organi excitari; sic inter dormiendum somniamus; quia excitantur cerebri phantasmata, idque dumtaxat per motum organo, cui illa insunt, impressum; hoc est substantiae fibrosae; talis enim cerebri medulla est; hinc si spinæ dorsi medulla suis membranis spoliata, frigidæ immergatur, statim in tenuissima filamina, quasi ad instar equinæ caudæ explicatur, quod multiplici experimenro à me probatum est, quod etiam Laurentius testatur in *anatomicis*; imò ipsa cerebri medulla semiputrefacta, tota netur, ac dicitur in filamenta, itaque motus hujusmodi filaminibus impressus, non quidem simul omnibus, alioquin ad motum totius capitatis, omnia phantasmata excitarentur, sed nonnullis dumtaxat, illa phantasmata excitat, quæ iis filaminibus, seu fibris sic enim vocare soleo, inusta sunt; sic longa meditatione, ac ruminacione mentis, cerebrum defatigatur; at si nullo ageretur motu, dici profectò non posset, unde procederet defatigatio: adde quod ex vehementi sensu, maximus motus toto corpore cietur, tremunt artus, palleat vultus, sanguis retroagitur, stringuntur præcordia, viscera laxantur: imò cùm motus in appetitu à sensu procedant, hoc est à sensu, organa prædictorum motuum determinentur, excogitari profectò non potest aliis determinationis modus, nisi is, quo, à cerebro, hoc est, à fibrarum, seu filaminum centro, motus in totum corpus traducitur; nempè prima illa quasi vellicatio, & sollicitatio motricem facultatem, quæ organis ineat, satis, superque determinat, ad hoc, ut in novum motum erumpat; sed res Physicas hoc loco didascalicè non verò ap-

dicticè tracto; huic tamen officio non defui, ut potè qui rem hanc ex professo discussi, in tract. de homine, & breviter contraxi in summa Theologica, tract. 4. cap. 2. hic dumtaxat suppono, quod mihi certum esse videtur, & alibi demonstravi.

His positis substantia cerebri variæ conditionis esse potest, hoc est fibræ illæ ad impressum motum excipiendum diversimodè comparatae; si enim crassiores sunt, impressioni resistunt; sic crassior nervus difficilius pulsatur, si molliores, facile motus imprimitur, sed facile frangitur, aut cedit chorda; sic tensi muci filum statim rumpitur; si obstructionibus impeditæ, motus impeditur, & minus dociles sunt: sed ut ad rem veniam tales fibras esse desidero, ut tenues, dociles, solidæ, & liberæ sint; si enim tenues sunt statim motum excipiunt; si dociles, facile traducunt; si solidæ, diu servantur intactæ, nec facile franguntur, aut cedunt; si liberæ, ab omni scilicet obstructionum impedimento, iis animus liberè uti potest: hinc tenuitatis vitio soliditas occurrit, & soliditatis rigori docilitas. Et verò si vel in ipsis lignis, imo, & carnis, tantam fibrarum diversitatem observamus, quidni, & in cerebro, cuius textura varia, & varius fibrarum plexus diversam ejusdem constitutionem facit; illa autem optima est, ex qua operationes mentis, & faciliores, & perfectiores consequuntur: & quia operationes mentis, operationibus sensus interni ita annexæ sunt, & quasi subditæ, ut snam ab iis tum facilitatem, tum perfectionem mutuentur, illa haud dubiè optima erit cerebri constitutio, quæ tum ad faciliores, tum ad perfectiores operationes sensus interni aptior est: & quia ubi sensus est, ibi est motus, & pari uterque incedit gradu, nempè excitatur phantasma per motum illius fibræ, cui inest, & phantasmate excitato, sequitur operatio sensus; si facile imprimitur motus, facile phantasma excitatur, & faci-

facile sequitur operatio sensus ; igitur , & operatio mentis ; ergo ubi major motus imprimitur , major inde sequitur excitatio ; igitur , & major utriusque operatio ; utriusque , inquam , sensus scilicet , & mentis ; at si fibræ tenues sunt , solidæ tamen , ut tenuitatis vitio occurratur , & dociles ; id est , quæ facile flecti possint , ut nimii rigoris incommodum fugiatur ; liberæ denique , ac solutæ ab omni obstructionum impedimento , facile magnus motus imprimitur , & producitur , seu propagatur : igitur talis fibrarum constitutio . seu conditio optimam cerebri constitutionem facit.

Aliud erat , quod in præfata constitutione desideratur , scilicet , talis plexus , qui neque rarer , vel explicationis sit , neque densior , vel pressior , ut sic loquar , seu spissior ; si enim laxior , & explicacionis est , longiora sunt fibræ segmenta , nullis aliis fibris secta , vel interrupta ; atque adeò felicissima quidem erit memoria , sed non modicus erit judicii defectus ; nempe in laxiore filaminum plexu , longiora sunt filaminum in tertextorum segmenta ; sed in longiore segmento , continuata phantasmatum impressorum series longior est . Hinc felix , & minimè interturbata memoria , utpote quæ à filaminibus intertextis dumtaxat turbatur , & confunditur ; id tamen vitii est cum felici memoria conjunctum , quod multa considerationi subducantur , quæ , ut rectum de rebus judicium formetur , in mentem venire debebant ; si verò spissior plexus sit , maturum erit judicium , sed labilis memoria ; nempe segmenta fibrarum inter utrumque tramitem interjecta , & quibus simulacra insunt , inde breviora evadunt . Hinc brevior phantasmatum continuatorum series ; hinc crebra interruptio ; hinc durior memoria : itaque nec æquō laxiorem , nec justō densiorem , ac spissorem fibrarum cerebri plexum esse volo , ut rectam , cerebri constitutionem habeam , qualēm in Euphyan-

dro desidero ; ut scilicet utriusque vitia extremitatis castigentur. Nec est quod aliquis , ut jam *Supra cap. 2.* manui , unicam illam , ac Geometricam mediocritatis proportionem desideret , quam optare quidem , sed minimè obtinere possumus ; sed in hisce rebus Physicis , illa mihi mediocritas placet , quæ ad Geometricam propriùs accedit : nec enim res perfectissimas in hoc rerum statu habemus ; in quo illa major est perfectio , quæ minùs imperfectionis ; & defectus complectitur ; itaque ut extremitatum vitiis variis modis occurrit natura , quocunque tandem modo vitium abigatur , inde quæsita nascitur perfectio : hinc multi egregiam cerebri constitutionem habere possunt , quamvis illas inter se dissimiles esse contingat ; sic varia est oris , & Vultus species ; omnes pulchri erunt , licet inter se dissimiles , sed ad alia transeo .

C A P U T IV.

De memoria.

Nisi Euphyander instructissimam , ac tutissimam interioris cerebri penum habeat , in qua rerum scitarum , lectorum , quovis perceptarum sensu ; omnium denique præteritarum cogitationum semina asseruet ; frustra illi tot labores , atque sudores , tot lectiones , vigilias , & studia imperarem , itaque felici eum memoria pollere necesse est ; hoc est fideli simulacrorum custode ; simulacrorum inquam , seu phantasmatum , ut vocant , quæ proprio revera nomine formæ sine materia appellari possunt , rectè ordinatorum , seu compositorum ; sed ut rem paulò altius repetam ; suppono duplicem memoriam esse , alteram scilicet , quæ rationi & electioni subjicitur , aliam verò , quæ motu quasi necessario fertur ; prima est , quâ phantasma rei quæsitæ , & priùs cognitæ facile excitatur , & hoc rectè vocant , in memoriam aliquid revocare ; quod reverà quomodo fiat

in nostra hypothesi physica, ea facilitate explicamus, qua nescio, an major excogitari possit; nempe cum mens, & sensus internus circa eadem objecta simul operentur, excitatis scilicet per motum, phantasmatis, certè pro diversa excitatione, diversa est operatio; & diversa excitatio, pro diverso motu, atqui cum fibræ cerebri continuæ sint, & communi quodam tramite contextæ, uni motus imprimi nequit, nisi multis simul aliis imprimatur, cum hoc tamen discrimine, ut illi major vis motus imprimatur, à qua in alias traducitur; atque adeò quò longius ab ea motus origine, ac principio distant, minus revera motus excipiunt: ex hoc autem motuum discriminatione, excitationum, & operationum varietas procedit: hinc sensus unam, vel alteram distinctam operationem elicit, plures tamen simul indistinctas, & valde confusas; distinctam quidem circa illud simulacrum, quod excitatur distincto, & majore motu illius fibræ, cui inest; confusas verò, circa illa simula-
cra, quæ modico, & insensibili motu excitantur.

Quia verò sensu agente, mens ita agit, ut distincta mentis operatio distincto sensu respondeat, de eodem scilicet objecto, vel simulacro; & indistincta, indistincto; quippe mens, atque sensus eadem attingunt, dum simul agunt. Inde fit, ut mens, quæ ratiocinii facultate pollet, sese determinare possit ad cognoscendum distinctè, quod priùs confusè cognoscebat; in eo enim ratiocinium positum est, quod ex eodem confusè cognito, idem distinctè cognoscatur; ex multis autem confusè cognitis, illud elitit, quod libera voluntas jubet; & verò facultas humani ratiocinii, ex libertate hominis ortum ducit; hinc bruta, quæ libertate agendi penitus carent, minimè ratiocinantur, hinc ubi ratiocinium impeditur, libertas ligari dicitur. Porro ubi mens distinctam cognitionem elicuit, circa idem objectum, vel simulacrum, circa quod priùs confu-

sam , & indistinctam habebat , statim sensus circa idem , distinctam operationem producit ; ex distin-
cto verò sensu , distinctus , & magnus sequitur mo-
tus , illius scilicet fibræ , cui præfatum simulacrum
inest ; hinc aliud principium , vel centrum motus ;
hinc nova motus in novas fibras propagatio ; hinc
nova excitationum , & operationum turba , tum in
sensu , tum in mente ; huic succedit alia , atque ita
deinceps pro arbitrio mentis , quæ hoc modo veri-
tates venatur , meditatur , speculatur phantasmatæ ,
ut ajunt , rerum conjugationes , habitudines , con-
nexiones invenit ; uno verbo priora relegit vestigia ,
cognita recognoscit , quod mente exciderat , in men-
tem , & memoriam revocat , & quod in imo cere-
bro sepultum latebat , sub aspectum , atque in lu-
cem educit . Itaque ubi fibræ cerebri ita sunt com-
positæ , ut facile motum à vicinis excipere possint ,
nullo scilicet obstructionum obice interposito , nul-
lo nodo motui viam obstruente ; tunc certè felix est
illa memoria , quam rationabilem vocare soleo , cum
rationi , & ratiocinio subdita sit . Hæc est illa ju-
dicii memoria , quæ in hoc præsertim ab alia dif-
fert , quod nunquam judicium fallat , sed idem po-
tiùs plurimū juvet , illisque in omnibus obsequa-
tur : quænam verò esse debeat ad hunc effectum ,
cerebri constitutio , & ratio fibrarum , ex dictis , ut
puto , manifestum est , si enim fibræ tenues sint , so-
lidæ , dociles , & liberæ , earumque plexus nec plus
æquo laxior , nec plus justo densior sit : adde si vis
tenacitatem quandam , vel uliginem , de qua *infra*
enp. sequenti ; ex his haud dubiè , ea cerebri consti-
tutio est , & fibrarum ratio , ex qua memoria ratio-
nabilis felicissima procedit .

Alterius generis memoria longè minoris , saltem
meo judicio , facienda est , quia scilicet , ut plurimū
cum modico judicio conjuncta est ; in quo verò po-
sita sit , & unde procedat , ex dictis *cap. 3. perspicuum*
est ;

est ; nempe si rario est fibrarum cerebri plexus, segmenta intercepta longiora esse, necesse est ; hinc longiorem simulacrorum impressorum seriem continent. Hinc facile uno tractu nullo scilicet interpolito, vel intercurrente obice, relegi possunt, nempe ejusdem segmenti partes, quibus scilicet simulacra ordinatim disposita insunt, continuatum, & propagatum motum successivo fluxu excipiunt ; igitur quid mirum, si deinde eodem ordine, eadem simulacra excitentur, ac proinde eodem felicis memoriae teneore recolantur. Cur autem rario ille fibrarum plexus judicio non parum obsit, dictum est *supra* ; neque hic repeto : hinc pueri felici memoria pollent, scilicet hujus secundi generis ; quia molliorem cerebri medullam habent, & laxiorem ; analogiam clarissimam habes in reliqua carnis habitu ; sic vitulina tenerior, & mollior est, quam bubula ; sic recens palmes, vel surculus, teneriore, & laxiore ligno constat, quam truncus, & armosa quercus : hinc senes, ubi ad decrepitam ætatem pervenerunt, nulla ferè valent memoria, quia cerebrum illis contrahitur, & premitur ; non negarim tamen docilitatem fibrarum necessariam esse ; undè si plus æquò siccantur, & obrigescant, quod reverè senibus accidit, quid mirum, si vel inde memoria maximum accipit detrimentum.

Quomodo vero res memoriae mandemus, *in tract. de homine* fusè, ac ex professo disculsi, hoc loco dum taxat indico, suppositis scilicet meis principiis : nempe ubi aliquid vel legimus, vel audiimus, cerebri fibris simulacra rerum lectorum, ut auditorum imprimuntur ; simulacra inquam verborum, & vocum, quarum significationem callemus ; hoc est simulacrum rei cum simulacro verbi conjunctum habemus, singulari scilicet studio, quod adhibemus, cum idiomatici discendo iacumbimus ; procuramus autem, dum memoria aliiquid mandamus, ut simulacra illa ordinatim,

natum, & in continuata serie describantur, vel imprimantur; unde aliquid meditationis, & ruminationis accedit necesse est. Cogita quæso duas fibras in longum ductas, & quasi parallelas, in modum scalæ dispositas, suisque gradibus distinctas, hoc est tenuissimis fibris hinc inde adhærentibus, & tantulum tensis, quibus simulacra insunt; & quia duæ illæ fibræ primariæ identidem cum aliis etiam primariis decussantur; ille qui memoriæ aliquid mandat, diligenter procurat, in hujusmodi decussationibus, phantasmatum seriem colligare, ne forte agere illo series interrumpatur. Porrò quia sensus fibras illas ad libitum non movet, nec etiam ipsa mens, saltem immediatè; multo studio, ad hoc, ut rectè componantur, omnino opus est, quod revera studium in eo positum est, quod mens cognitionem distinctam eliciat, circa ilud simulacrum circa quod, confusam dumtaxat priùs habebat; nempè ex illa distincta cognitione mentis, distinctus sensus nascitur, circa idem simulacrum; ex hoc verò magnus illius fibræ motus, cui simulacrum inest; ille autem motus tremulus est, qualis est motus nervi tensi pulsati.

Porrò illæ tenuissimæ fibræ ex primariis, ad instar teneræ lanuginis luxuriantes, citissimo vibrantur motu; ex quo fit ut aliis occurrentibus facile adhæreant; habent enim aliquid tenacitatis, atque ità componantur, ut inde ordinata phantasmatum series consequatur; hinc ii, qui fibras illas minùs tenaces habent, vel breviores, & riores, res memoriæ difficiliùs mandant; sed de his fusè, ac ex professo, loco citato actum est. Itaque tales memoriam in Euphyandro desidero, non qua librum integrum memoriter recitate possit; sed qua lecta, & audita ità menti adhæreant, ut deinde meditando, ac ruminando cum opus fuerit revocari, ac suscitari valeant; illa judicii memoria in

in primis placet, qua facilè ad mentis nutum, quæ in cerebro sparsa, & confusa sunt, colligimus, & distinguimus; ille fibrarum plexus, neque plus æquo laxior, neque plus justo spissor; fibræ illæ tenues, solidæ, dociles, liberae; tenacitas illa; lanugo illa, villis optimæ conditionis; hoc est nec brevioribus, nec rarioribus, quam par sit, instructa. Cuncta hæc in Euphyandro suum locum habent, quem non loquacem Psittacum, & Garrulam picam, quæ memoriæ priùs mandata effutit inconsideratè, sed profundi judicii virum, qui ea, quæ scit, ubi res postulat, tacere sciat.

C A P U T V.

De Judicio.

Hic ille est domesticus Herus, qui reverè si homo absit, ipsi domui male consultum est: hæc est primaria machinæ rota, quâ si machina careat, reliquis motus non deerit, sed recta ratio compositi motus: & verò nisi rectum judicium cogitata componat, & facta, multa quidem in mentem venient, sed adeò incomposita, ut merum natura impetum, non verò rationis ductum, sequi videantur. Porro judicium est facultas rectè judicandi, rectè autem judicamus, cum verum à falso, justum ab injusto, bonum à malo discernimus, seu distinguimus; hinc facultas rectè discernendi, ac disponendi, judicium est; ac proindè duæ sunt judicij partes: prima est discretionis, altera dispositionis; per illam res discernimus, per istam rectè disponimus: prima errorem à mente, altera verò ab opere arket; una prælucet menti, ne erret; altera operi, ne peccet: illa noscit, quid agendum sit, hæc agit, quæ agenda novit; per illam, ut par est scimus; per istam rectè operamur; uno verbo, rectum, ac bene compositum judicium hominem facit, cuius omnes partus cum recta ratione consentire debent,

hinc

hinc licet multi se memoriā , vel ingenio parum valere ultrò fateantur , imò , & ultrò afferant , in scientiis humanis , se parùm , vel nihil versatos esse , neminem tamen vidi hactenus , qui iudicio laborare se ; fateretur , quo sanè omnes abundè instructi esse existimant , licet plerique singulis recti iudicij partibus penitus careant : hac in parte nemo alteri sponte cedit , imò vix ullus est , qui se in hac omnibus aliis superiorem non reputet : hinc ut vides plena fallaciæ res est , in qua , ut facile , ita plerumque homines delinquent ; ut sua cuique placent , propter se , ita in suis quisque ubi placet , nec sua cuique placerent , nisi se in suis videret , sibi que in suis placeret .

Itaque maximè , ac enixè curandum est , ne hoc vitio Euphyander meus laboret , quem reverà ingenii potius , quam Judicij penuriā laborare vellem . Quare , ea sit cerebri constitutione , ex qua rectum iudicium sequi solet , modò arte , ac studio naturæ habilitas perficiatur ; adeò longa non sint fibrarum segmenta , sed multiplici decussatōne interrupta , sit pressior , & spissior filaminum plexus , ut subinde tramitis intertexti segmenta feliciorē illam memoriam castigent , nec cæco impetu ferri patientur ; ut enim de re proposita recte judicemus non tantum una , sed pluresphantasmatum series , ac lineæ relegendæ sunt , & decurrentæ , nè quid incautos subterfugiat ; hinc plura censenda , conjuganda , discutienda , inter se comparanda , ponderanda sunt ; non tamen illum fibrarum plexum tam pressum , & spissum esse velim , ut filamina inde vel rigida , vel minus docilia evadant ; nempè ille plexus iudicio quidem consulit , sed nimiam conciliat tarditatem , quæ summum in Euphyandro vitium esset ; una est in cunctis mediocritas , quæ pretium facit ; unum est medium , quod soli Beati tenuerunt . Porrò quanti momenti sit ,

fit, in re literaria, judicium, literati omnes sciunt; & verò nisi, quis verum à falso discernere facile queat, quod certè judicii est, vix mediocrem in literis progressum faciet; illa veri, & falsi commixtio, ingenii pestis, immò horrendum monstrum est, quod ubi sese in animum insinuavit, & sedem in eo fixit, nihil ab eo, præter extrema omnia sperandum est; quare primùm, ac potissimum caput est, ut is, qui animum ad scientias applicat, verum à falso discernat, nec sibi facile imponi patiatur; si enim vera dumtaxat admittit, cum ex vero, verum tantummodo sequatur, magnos haud dubiè in scientiis, felici ratiocinio, progressus faciet; tanti est, hominis animum veri tantum capacem, & patientem esse.

Et verò, turpe est, ultrò peccare, sponte falli, & illudi, falsis duci imaginibus: idolum cole-re; quid plura? Euphyander noster is esse debet, qui sibi facile imponi non sinat; qui probè sciatur, quidqnid domi est; qui nihil nisi exploratum, & benè palpatum admittat, qui discernat verum à falso, utile ab inutili, pretiosum à vili, bonum à malo; nempe virum frugi Euphyandrum esse desidero; nec enim in malevolam animam sapientia introibit; & vero insignis judicii defectus est, angelicum ingenium, cum diabolica voluntate con-jungere, tantam vim luminis à supremo luminum Patre, qui lucem habitat inaccessibilem, singulis se-ri horis excipere, & nunquam grati animi oculos in fontem illum bonorum omnium convertere; omnia scire, præter Deum, qui, & scientem crea-vit, & scire dedit. Porro mirum quantum, judi-cio peccent, qui præfata discernendi facultate ca-rent; hinc nonnulli, viri licet ingeniosi, vel repu-gnantia loquuntur, & scribunt, quod imprudentissimæ cæcitatatis est, vel Provinciam viribus impa-tiem suscipiunt, quod temeritatis; vel de iis agunt,

quæ

quæ ipsi prorsus ignorant, quod imprudentiæ; vel ea refutant, quæ non intelligunt, ut vel ipsi ultrò fatentur, quod andabatarum; vel sibi antè pugnam, victoriam, vel antè victoriam triumphum gratulantur, quod ridiculæ vanitatis: vel constanter asserunt, se impugnâsse. ac evertisse, quod ne vide runt quidem, nedum attigerunt, quod prostitutæ superbiæ; vel operum suorum præcones illos accersunt, qui in eadem cum illis nave, & causa versantur, quod summæ injustitiæ; vel quod furiosæ dementiæ, cum argumentis, & rationibus careant, probris dumtaxat convitiis, sarcasmis, & contumeliis pugnant, quæ certè disputandi, ac differendi ratio, lixis, calonibus, & mulierculis insimæ sortis condonari potest, non tamen iis, qui pro doctoribus. & si superis placet, doctorum apicibus haberi volunt.

Cuncta hæc judicii, ac præsatæ discernendi facultatis defectum manifestum esse luculenter ostendunt, qua reverà, qui pollet, non modò verum à falso, & bonum à malo discernit, verùm etiam cæco illo interioris perturbationis æstu abripi se non finit, nec adeò cæcutit, ut repugnantia, absurdia, absonta, proferat; cum hæc non modò aliquid de alterius, æmuli scilicet, existimatione, minimè detrahant, sed auctorem ipsum ridendum omnibus, & exhibendum exibeant: ab exemplis abistineo, quæ tamen, mi Lector, pañim reperies. Cæterū licet hic Judicii defectus sit, hoc tamen non facit, quin aliqui, quamvis alioqui recto judicio pollentes, hocce peccati genere delinquent; nempe interior animi perturbatio crassam nebulam oculo mentis obducit; hinc error, & judicii defectus; igitur licet ea, quæ à natura nobis innata sunt, atque insita, ad hoc vitium arcendum, plurimum conserant, arte tamen, & singulari studio, atque opera opus est, ad tumultuantium pañionum

num motus componendos , sed hac de re lib. proximè sequenti agemus : hoc unum restat , ut non nihil de altera Judicij parte delibemus , quæ rectè disponendi facultas est , qua vir Judicio pollens magnopè valet : si enim scribit , non modò omnes orationis partes suo quæquæ loco rectè dispositæ sunt , & collocatæ , verùm etiam , singula singularum partium argumenta , periodi sententiaæ , membra , figuræ , orationis lumina , verba , & particulae , ne dicam spiritus , & accentus ; uno verbo omnia ità disposita sunt , & sita , ut meliori loco esse non possint : si res , & negotia tractat , ab iis initium dicit , quæ initio , & finem in iis facit , quæ ultimò loco facienda sunt , etimque in totius negotiï serie ordinem servat , quem rei natura postulat ; si ædificat , nullo fabrica vitio laborat ; nihil ad decorum , nihil ad commodum in ea desideratur , nec porta domus ædificii frontem , neque hæc , interiorem ad habitandum fabricam fallit ; denique sive agat , sive scribat , sive dicat , sive res publicas tractet , sive privatas ; in recta , vel actionum , vel distinctionum , vel orationis dispositione nihil peccat : hic autem rerum exterior ordo alium simulacrorum rectè compositorum ordinem esse demonstrat ; & hic organum , his simulacris , seu phantasmatis rectè compositis excipiendis aptum , & commodum , hoc est , eum fibrarum plexum , nec plus æquo spissum , nec plus justo rarum , eamque fibrarum rationem , quam suprà satis fusè , & facile descripsimus .

C A P U T VI.

De Ingenio.

Euphyandrum , hoc est , virum ingeniosum inge-
nio carere , quis dicat ? quæ certè illius singula-
ris dos est , quæ fortè si absit , quamvis reliquæ om-
nes adsint , Euphyander amplius non est , quam-
quam , si vel judicio , vel memoria omni careat ,

Euphy-

Euphyander quidem esse potest, hoc est vir ingenio præditus, non tamen Euphyander meus, quem hoc loco describo, ac desidero, tametsi negare non possum, quin exquisitum, & numeris omnibus absolutum ingenium singularis, ac potissima illius pars sit; hæc autem facultas ingenii in eo præsertim posita est, quod facile, ac feliciter vir ingeniosus excogitet, atque inveniat: nempe inventio ingenii; dispositio verò judicii, pars, & munus est. Hiuc acutè dicta, & cogitata; quia præter spem, & expectationem accidunt ingenii acumina vulgo vocantur; non tamen in hisce minutis vir ingeniosus sistit, majora spectat, & cogitat, acumina illa scintillæ dumtaxat ingenii sunt; scintillâ contentus Euphyander esse non debet, sed majorem lucis apulsum expectat, ut feliciter, ac ubertim deinde refundat: & verò si scribit, nova excogitabit, & sua, non aliena in lucem edet; nempe aliena describere, non eit ingenii, sed potius laboris: pauperis est, nihil, quod proprium sit, habere, sed semper alienis uti; in congesta farragine, & quasi in cumulum collecta, plus sudoris, quam artis positum est; portentum est, eundem fœtum saepius nasci, & in lucem edi; eadem apud varios legere cogimur, eandemque & repetitam, seu recoctam multorum voluminum crambem: & hæc est pessima multorum annorum occupatio, hæc palæstra à plerisque trita, & decursa; hæc fabula toties acta, quæ certè utrum semper placuerit, lectorum iudicio relinquo. Non raro repetita placent, at toties repetita nauseam afferunt; idem vultus tot larvis deformis mihi placere nunquam potuit; & nisi aliud in lucem edat, vel edere valeat; ingenii fœtum esse negabo: itaque inventio, ingenii opus est, eaque felix, & facilis; nempe vulgaria, communia, vilia invenire, nec ingenii, nec operæ pretium est; ut enim scilicet facile cuivis occurruunt, in quos etiam

etiam invitus impingit; ita smaragdi, & adamantes rariores sunt, & à paucis, ab iisque rarissimè inveniuntur: absurdā quoque invenire, & absonta, falsa, & ridicula, puerilia, & nugatoria, non ingeniōsi, sed potius stulti est.

Mira est nonnullorum Indoles, qui nisi ea proferant, quæ nec ab iis, nec ab ullo mortalium intelligi possint, ingenii specimen à se editum esse non putant. Hinc opiniones quædam ridiculæ, metaphoræ absonæ, & insulsæ, jactantiæ thrafonicæ, exaggerationes monstrosæ; quid plura, unde maximè, & quoad possunt, ingenii sui ostentationem procurant, inde sanè ingenio, omnique judicio se carere ostendunt; igitur feliciter invenire ingenii est; hoc est invenire inopinata, ardua, scitu digna, haec tenus ab aliis frustra quæsita, à doctis proposita, ab omnibus desiderata, utilia ad aliquam artem, vel scientiam promovendam, ad rem literariam publicam, privatam; sic in arte typographica, qui typos, & prelum invenit, vel tormenta, in polemica, vel rotas, vectes, trochleas, cochleas, in statica; ingenii specimen edidit. Quis, amabo, neget, Aristotelem in rebus philosophicis; Archimedem in Geometricis, Diophantum, in Arithmeticis, Hypocratem in Medicis, Ciceronem in plerisque, ingeniosos fuisse quod scilicet eorum quisque suam artem non mediocriter promoverit, atque in ea quam plurima, eaque ad stuporem mirifica excogitarit, quorum accessione, non modò artes illæ adoleverunt, verùm etiam ad ultimum serè suæ perfectionis terminum pervenerunt. Euphyandrum quidem meum supremis illis hominum apicibus similem esse gauderem, iis tamen longè inferiorem pro Euphyandro habiturus sum; nempe eum esse desidero, qui tum in Philosophia, cum etiam in liberioribus, & liberalibus disciplinis, imò si res ita ferat, in Theologia, aliqua, pauca saltem,

ea tamen eximia , nec non illustria proprio marte
inveniat ; conferat aliquid de suo ; suo succo ali-
quando vivat ; nam vivere semper alieno , paupe-
ris est , vel Parasiti ; quid plura, discat ab aliis, quæ-
cunque volet ; sed fibi aliquid debeat, & à se discat,
fibi magister , & discipulus , ἀυτοδιδάσκαλος ,
nempe inde fiet , ut & majore voluptate illius ani-
mus perfundatur ; quilibet enim suis rebus magis
afficitur, quàm alienis ; & majore comprehensione,
scientias possideat ; nostra enim arctius stringimus,
quàm aliena , & naturales fœtus magis diligimus,
quàm adoptivos.

Cæterū non modò felicem inventionem , sed
etiam facilem esse oportet ; imò id dumtaxat di-
scriminis est, virum inter summo ingenio , & alium
mediocri tantummodò instructum , quod ille res
facile , hic verò difficulter inveniat : Euphyander
in suis operibus non sudat, sine vi , ac dolore sua
parturit ; vena sponte ; ubertimque fluit ; hinc
non premit cerebrum , ut bonum succum expri-
mat ; non torquet , ut pariat ; nullam vim , nullam
contentionem , nullum ferè nisum adhibet , sed
ultrò fluunt , & affluunt ingenii opes : si scribit, ca-
lamus currit ; si loquitur expedite dicit ; si medita-
tur , species vocatæ statim adsunt ; nullus simula-
crorum tumultus , nulla formarum confusio ; equi-
dem nonnulla sunt , quæ non modò vulgi captum
superant , verùm etiam illorum hominum , qui bo-
na certè , sed non eximia ingenii facultate pollent,
in quibus plus laboris atque operæ Euphyander po-
nit, dum ea diutiūs, s̄dque aliquando per plures an-
nos discutit , & considerat , tales sunt , abstrusæ
quædam physicorum effectuum causæ ; talia , re-
condita quædam Geometriæ problemata . Hinc
sunt, qui diù refractionis rationem , reflexionis mo-
dum , luminis rem , & diffusionem ponderarunt ;
quo

quo eventū , viderint docti , & judicent ; contra verò quisquis mediocri dumtaxat ingenio valet , plus sudoris , quām operis emittit ; stringit caput arctius , ut vel guttulam boni succi exprimat ; multum , diuque laborat , & sēpē frustrā ; hinc non modico tedium afficitur , nulla syren animum delecat , quia operationis facilitas , & felicitas , seu perfectio lāetiam operanti conciliant , ut ex nostris principiis physicis constat ex quibus habeo ; illum de sua operatione gaudere , qui benè , & facilè operatur . Si benè quidem , sed difficulter operaris , esset quod de facilitate operationis gauderes , nisi de difficultate dolendum esset ; si facile , & male , cum imperfecta operatio satis magna operanti sit poena , est potius , quod de uno doleas , quām quod de alterō gaudeas : *Bonum enim , ut ajunt , ex integra causa , malum verò ex minimo defectu est ; igitur , ut nullus defectus , nullum vitium operationis sit , recte , & facilè fiat , necesse est ; & hæ duæ sunt insignis ingenii partes , ut scilicet benè , & facilè operetur , quarum altera seorsim plerisque , utraque simul paucis haud dubiè concessa est :*

Rara avis in terris ,

— Pauci , quos aequus amavit

Jupiter.

Porrò licet res literaria singularis , & potissima ingenii probatio sit , vir tamen ingeniosus talem ferè in omnibus se probat ; si rem politicam tractat , novam rationem excogitat , quā Respublica melius administretur ; si œconomicam , novum modum rei domesticæ amplificandæ : si mercaturam , nōvas inibit vias , ad majus , & certius lucrum faciendum : si mechanicam , nova organa excogitat , ad perfectionem operis artefacti : si nauticam , aliqua in velis , nonnulla in forma , vel materia reformatib ; si bellicam , novum pugnæ genus ,

nova stratagemata, novam rationem expugnandi, & propugnandi arces inveniet. Igitur in omni arte, vir ingeniosus ingenii specimina edere potest. Sed unde rarum illud ingenium, cum ab anima ipsa non derivetur; nempè animæ omnes æqualis perfectionis sunt, ut jam *suprà* statui, igitur ex una dumtaxat cerebri compositione ingenii ratio procedit, quam *suprà* jam descripsimus; in qua scilicet fibræ aptæ sint, & expeditæ ad excipiendos, traducendosque impressos motus, hinc tenues, dociles, ductiles, solidas tamen, esse necesse est, justo tramite intertextas; nempè inde accidit, ut facile, ac citò multa rerum simulacra excitentur, & multæ fibrarum lineæ, vel series percurrantur; unde sanè facilis juxta, atque felix inventio consequitur; unum dumtaxat periculum est, nè nimia operationis celeritas, aliquam imprudentiæ labem eidem aspergat; unde fortè illud, *festina leniè*; itemque illud, *sat citò, si sat bene*: itaque cum præfata agendi facilitate maturam considerationem conjunctam esse desidero; multus enim error inco-gitantiam ac nimiam festinationem sæpe, ac sæpius obrepit; sed de his satis.

C A P U T VII.

De aliis animi dotibus.

ET si ferè omnes animi dotes, quibus Euphyander noster prædictus est præmissois capitibus comprehendantur, nonnullas tamen, quasi appendices paulò explicatiùs hoc capite complector, quarum prima est, quædam animi tenacitas, quâ quis facile animum ad scientias capessendas applicat, iisque paulò tenaciùs adhæret. Sunt, qui à literarum studiis alienum animum gerunt; vix de literis cogitare valent, sine horrore, ac tædio; & si fortè cogantur, vel à parentibus, vel à magistris, ægrè omnino hanc provinciam suscipiunt; quod autem

per

per vim extorquetur , nunquam , aut raro bene succedit: quid vero causae sit, vix dici potest; sunt forte , qui ab exterioribus objectis distrahuntur ; hinc his militia placet ; mercatura illis , aliis mechanica ; sunt qui politicis totos se tradiderunt ; alii rei nauticæ ; indeoles sua quemque trahit.

Itaque , ut verum fatetur , quædam congruitas , & consonantia desideratur ; quædam enim optimè cadunt , & congruunt , alia vero nunquam bene quadrant. In rebus proportio quædam est , & analogia , sine qua inter se recte convenire non possunt : sic quadrata rotundis : curva rectis : plana convexis non congruunt : pari modo , literæ quibusdam non placent : nempè abest congruitas illa , & consonantia : proportio & analogia : fibrarum habitus , & consensus ; quod scilicet illarum affectionum , illorumque motuum , qui ad literarum studia capessenda imprimi solent , minus capaces , & patientes sint . Clarissimam analogiam habes in organo gustus , & olfactus ; nempè huic unus sapor , vel odor placet ; illi aliis , cuius organi fibræ capaciores sunt : idem prorsus accidit in organo sensus interni , cuius fibræ his , vel illis rerum simulacris , & motibus excipiendis aptiores sunt , quam aliis ; igitur non mirum est , si nonnulli animum ad literas minus propensum , alii vero valde propensum habent . Hinc altera dos animi , & facultas : quam Euphyander carere non debet : id est , habilitas quædam ad disciplinas omnes acquirendas : hinc nonnulli rei œconomicæ : alii politicæ : alii mechanicæ : alii nauticæ : alii bellicæ : alii denique rei literariæ nati esse videntur : hinc certè variae habilitates , nec enim :

Omnia possumus omnes,

Neque

Omnis fert omnia zelus.

Ego ultimam hanc , quæ ad literarum studia pertinet, Euphyandro nostro desidero , quem sanè , ut habilem ad omnia esse gratulor , ità minus habilem esse ad literarum studia capessenda non patior : imò talem esse desidero , qui naturæ quodam instinctu , & ductu doctus evadat , & cui potius à natura insita scientia , quam arte , vel studio comparata esse videatur. Et verò nisi natura ipsa magistra sit , eaque optima parens , non prava , & iniqua noverca , magnus in literis progressus sperandus non est : & si enim :

— *Labor improbus omnia vincit.*

Improbum tamen laborem nemo non fugit : unde verbō invita Minerva , in literis lauream adipisci , expeti sanè , at sperari non potest. Porrò sunt , qui nonnullarum disciplinarum valde capaces , ad alias verò prorsus inepti sunt ; novi aliquos , qui Geometricis cùm delectentur , Philosophica ferre non possunt : alii totos se rebus physicis tradunt , in metaphysicis vix tyrones : alii rebus scholasticis , & litigiosis diligenter vacant , Geometricas delibare vix possunt , figuras nostras quasi retia , & vincula essent , odio plusquam Vatinianò prosequuntur : Euphyandrum his angustiis liberum esse volo , & erga omnes disciplinas æquè propensum , cùm omnes animum perficiant , & locupletent . Sed ad tertiam dotem venio , quæ est firmitas quædam animi , atque indoles longioris laboris , & studii patiens. Nonnulli levioris indolis , & armaturæ homines alacriter certè animum ad scientias applicant , sed statim mutato consilio pedem referunt , non quidem labore territi , cùm enim ingenio non mediocri instructi sint , modico sanè sumptu iis studiis incumbunt , sed naturæ , atque indolis levitate ab instituto recedunt . Hinc multa incipiunt , nihil perficiunt ; illi profectò non absimiles , qui hoc disticho describitur :

*Vir simplex, fortasse bonus, sed Prætor ineptus,
Dicit, agit, peragit, plurima, pauca, nibil.*

Oritur autem id vitii genus , vel ex modico vici-
narum fibrarum pruritu , vel ex priorum defatiga-
tione , vel ex eventu meliore sperato , vel ex tri-
pudio spirituum , & subtilioris sanguinis : denique
hoc vitium tale est, ut in Euphyandro minimè fe-
rendum sit , qui certè nisi suscep tam provinciam
prosequatur , nihil ab eo sperandum est, quod tan-
to nomine dignum sit. Quarto loco alacritas quæ-
dam est , quā quisque , modò ingenio polleat , pro-
vinciam , aliquam suscipit , suscep tamque prosequi-
tur brevi , & plurimū rem literariam promovet.
Morositas illa , quam nonnulli præ se ferunt , ad in-
star est ejusdam remoræ ; moras autem , & remo-
ras Euphyander nescit , qui solis Æmulus , perpetuo
agit motu , in quo tamen quietem suam invenit ;
vir morosus sibi , aliisque gravis est , nec sine tæ-
dio vivit , quod animum pessimè afficit , & ab ope-
re suscep to non retardat modò , sed etiam revocat ;
cum tamen alacritas illa , de qua hoc loco sermo
est , non modò laborem , pondusque diei . ac ætus
demulceat , & leniat , vix enim laborem sentit , qui
alacriter laborat ; verùm etiam non mediocri vo-
luptate animum perfundat , tedium , & nauseam
arceat , vires addat , & nervos intendat ; uno ver-
bo ventrem pigrum odit sapientia , tristem , & mo-
rosum vultum ferre non potest , alacres amatores
in deliciis habet , non plorantes , & ululantes He-
raclitos , non ridentes , vel potius ridiculos Demo-
critos , non grunientes Epicuros , non morosos , &
superciliosos Stoicos , non mordaces , & allatrantes
Cynicos , sed alacres Peripateticos , qui ab ipso mo-
tu hoc nomine vocati sunt.

Sed ad quintam dotem venio , quæ est facilitas
quædam meditandi , quā reverà pauci valent ; di-

cere tamen ausim , hanc ferè totius rei suminam , & caput esse ; nempe cum unius meditationis operam intelligendi facultas adhibeat , ut res novas in dies cognoscat ; nisi facile illa uti possit , gemina difficultate premitur , objecti scilicet , & organi ; hoc est tum eā , quæ rebus ipsis inest , quippe lux omnis , veritas omnis suas tenebras habet ; tum eā , quam ipsa intelligendi , ac meditandi ratio facit . Porrò hæc meditandi facilitas in quibusdam mirifica est , qui sine ulla vi , & liberè propositam materiam discutiunt , dividunt , penetrant , nihil in ea intactum , & omissum relinquunt , rerum causas æquo , & facilī passu venantur , sine rumore , ac tumultu , longè iis absimiles , quorum meditatio summa capitis contentio est ; hinc sanè plurimum defatigantur ; cùm tamen alii , etiam post multas meditationis horas alacres , & tam dulci labore recreati potius , quām fracti esse videantur . Hæc autem meditandi facilitas ex fibrarum expedito , & minimè impedito plexu procedit ; analogiam habes in quibusdam equis , qui & si celeri passu incedunt , equitem tamen nihil , aut parū agitant , cùm tamen alii vix lento passu incedere possint , quin sesforem multū fatigent .

Ultima demum ex desideratis dotibus , animi tranquillitas est ; de acquisita sermonem minimè facio , sed de innata , & à natura insita ; cum enim vehementes passionum motus humores , ac spiritus nostros non parum perturbent , & humorum motus cerebrum pulsent , phantasmatum tumultuosè excitant , ipsamque adeò intelligendi facultatem magnoperè perturbent ; animus profectò inde ineptus ad literarum studia manet ; illa confusio rectam simulacrorum seriem interrupit ; illæ procellæ hominem terrent ; illæ tenebræ omnem lucem extinguunt : hinc nativa quædam mentis , & animi tranquillitas Euphyandro competit , ne frustra hoc nomen

nomen gerat. Hæc autem procedit ex moderata, ac temperata indole; & hæc, ex tali organi ratione; si enim organum prædictorum motuum, quod in venarum, & arteriarum fibris colloco, affectione ab interno sensu traducta, ita determinetur, ut in vehementes motus prorumpat, præfata mentis tranquillitas abeat; contrà verò adest, ubi prædictum organum moderatos, & benè compositos motus exerit, ut apposita ratio rectè demonstrat.

C A P U T VIII.

De viribus Corporis.

UT sanam mentem, ita sanum corpus, & minime fractas corporis vires Euphyandro meo inesse desidero; non Milonem quidem, aut Herculem esse velim, nolim tamen esse Theristem, nec adeò pectoris arcti, ut vel exiguo labore frangatur: ea corpus inter, & animum societas, is consensus est, ut sana mens in sano corpore habitet, quō reverā, si fortè hoc infirmum esset, uti nequiret; eō tamen uti debet, ejusque operam adhibere ad scientias fibi comparandas; nempe ita mens à corpore insuis operationibus, & hoc vicissim à mente dependet, ut nec animus, dum illi inest, quidquam sine illo agere, nec corpus sine animo vivere possit. Præterea tanta est partium, & organorum corporis humani consensio, & connexio, ut unum male affectum esse nequeat, nisi ejusdem affectionis sensus ad reliqua, contagio quodam derivetur: hinc dum extremi pedes dolorem sentiunt, dolet caput, queritur lingua, oculi lachrymantur; una pars ægra est, & totum corpus ægrum decumbit: itaque cum cerebrum animo famuletur in literarum studio, & cum ad cerebrum totius corporis affectiones traducantur; ibi enim centrum fibrarum est; quid mirum, si ab iis obsequiis, quæ animo præstare debet, & à debito famulatu distrahatur; præsentim

cùm sensibilibus plurimùm afficiamur, & vehemen-
tes sensus, & motus à morbo impressi totum ho-
minem ad se convertant. Denique iidem spiritus,
qui aliis facultatibus serviunt, sentienti famulan-
tur; eadem caloris vi cerebrum incalescit, quâ pul-
mo, jecur, ventriculus, aliaque organa, quibus
aliæ facultates insunt, ad suos usus foventur; atqui
longa meditatione caput incalescit. & ut ajunt,
multa vis spirituum consumitur: igitur si debilis,
& minus vegeta corporis indoles sit, id cerebrum
consumit, quod aliis facultatibus cedere debuerat:
Hinc fractæ vires, prostratum corpus, ventriculus
cibis coquendis impar, &c. igitur Euphyander ea
corporis indole sit, quæ, & naturalibus, & anima-
libus facultatibus, & operationibus sufficiat; quæ
tranquillum somnum admittat, & cibum ingestum
digerat, & viscera, nec plus æquō sicca, nec plus
justò laxa tribuat; quæ longioris meditationis pa-
tiens sit, & hæc cæteris potentiis nullum afferat
detrimentum; corde sit vegeto, molli jecore, mo-
dico splene, libero pulmone, aluo, tenera potius,
quam difficiili, atque tenaci; renibus temperatis,
cum tali fibrarum plexu, qui sero quidem, non
verò crassiori materiæ liberum transitum præbeat;
ampliore sit cerebro, in quo per ductus à natura,
præparatos excrementum pituitosum rectè perco-
letur; hinc fortè ii, qui diu studiis vacant, mul-
tum spuunt; quia dum meditantur, quasi pulsatis
cerebri fibris, multam pituitam motu illo excu-
tiunt, laxantque meatus, quibus illa percolari, &
per ductus à natura ad id muneris destinatos ef-
fluere solet, hinc multa vis sputi: quod verò ad
alia spectat, negligenda esse arbitror, nec Euphyan-
drum de iis sollicitum esse volo: igitur sive pul-
lum, sive rufum colorem præferat; sive cæsiros, si-
ve nigros oculos, (non negarim tamen in ipsa
oculorum acie, ut plurimùm ingenium micare)
sive

sive nasum aquilinum, sive quemlibet alium, (quāquam explicatæ, & patulæ nares ad bonam cerebri constitutionem non parūm conducunt,) sive macilento, sive pingui sit vultu, sive procera, sive parva statura, sive longiore, sive breviore collo, sive has, sive illas in vola lineas descriptas habeat, de his inquam, aliisque hujusmodi, Euphyandrum meum sollicitum esse nolo; quid enim hæc ad Euphyandrum?

Scio nonnullos, qui secūs sentiunt, & ex his plurima indolis, & ingenii ducunt argumenta; sed ut ingenuè dicam, quod sentio: meræ sunt nugæ, res plena erroris, & fallaciæ, dicerem, insaniæ, nisi molliùs loqui placeret: itaque quisquis eo morbo laborat, per quem animum ad studia literarum applicare non licet, eum reverè Euphyandum esse non nego, hoc est, virum ingenio præditum, non tamen sum, quem in hoc opusculo describendum suscepi. Hinc qui vel phtysī laborat, vel epilepsia, vel paralysi, vel podagra, vel calculo, vel alio morbi genere, quō ineptus ad studia capessenda efficitur, Euphyander meus esse non potest; meum dixi: scilicet operosum, non otiosum; alacrem in navanda studiis opera, non verò languentem, & fatiscentem: nullis parcentem laboribus, ut finem sibi propositum consequatur, non fractum minimo labore, & post horam literarum studiis impensam, semimortuum; novi ego aliquos ingeniosos homines, quibus per vim morbi minimè licet vacare literis, & musis; Euphyandros dicerem habitu, ut vocant, non verò actu; quibus recta quidem cerebri constitutio non desit, sed absit bona corporis habitudo, quam illæ, quæ cerebro insunt facultates desiderant. Porrò de tuenda sanitate hoc loco non ago; res artis est, & industria, de qua libro sequenti ex professo agam; hic enim de his dumtaxat sermonem instituo, quæ vel à natura innata sunt, vel extrinsecūs accedunt,

C A P U T IX.

De Fortunis.

DE interioribus corporis, & animi partibus, quibus Euphyander meus instructus esse debet, hactenus actum est ; restat, ut de quibusdam aliis exterioribus agam, quibus carere non potest ; illa autem ad quatuor capita facile revocari possunt, hoc est ad fortunas, parentes, magistros, & temporum rationem : de fortunis hoc capite again, quibus si forte homo, quamvis alioquin ingeniosissimus omnino careat, nihil ab eo expectari potest, quod ad rem literariam maximoperè conducat ; nempe sollicitus erit, ut ea sibi comparet, quæ ad tuendam vitam, alendimque, ac tegendum corpus necessaria sunt ; his autem curis anxius, & distractus, animum ad literas applicare nequit ; interistas curarum spinas, vel mendicatò vivere, vel in sudore vultùs pane suo vesci dumtaxat potest, atqui rebus mechanicis occupato, vel impedito tempus, vel otium deest, quod literarum studiis tribuatur. Scio, Biantem omnia sua secum portâsse, & aliud Philosophum maximum auri pondus in mare projecisse, nè animo potius, quam corpori oneri esset ; scio Epictetum, sub habitu, & vita servili magnum Philosophum egisse ; sed quid Bias ille, aliisque Philosophus ad literarum rem promovendam contulerint, prorsus ignoro ; Epictetus multa integerrimæ vitæ exempla nobis reliquit, & gravissima moralis philosophiæ præcepta, ab Ariano discipulo congesta, & in lucem edita ; sed Euphyandrum non modò virum probum, qui factorum integritatem, cum dictorum gravitate rectè componat, sed etiam optimè doctum, & omnibus disciplinis instructum esse volo ; qualis reverè esse non potest, si rei domesticæ, & annonæ difficultatibus prematur ; si vel mendicatò vivere, ut dixi, vel pa-

nem in laboris, sudorisque sui mercedem lucrari tantummodo valeat: non tamen est, quod aliquis putet, excludi à me religiosos homines, qui certè laudabili, & sancto vitæ instituto, mendicatò dumtaxat vivunt, unde mendicantium nomen duxere; utpote, qui prædictis curarum spinis liberi, ad ærie campani sonum, & signum, ut vulgo ajunt, prandere, & cœnare solent; de rebus temporariis minimè solliciti, corpore, & animo expediti, uni seruiunt æternitati, & frugali mensa contenti, eoque vestis genere, quo & corporis nuditas tegatur, & saevitia frigoris arceatur. Deo liberè, & musis vacant.

Porrò non dubito, quin multi inter istos Euphyandri sint, qui certè omnibus fortunis carent, & nihil habent, licet omnia possideant; igitur de alio mendicorum genere loquor, quos vitæ necessitas à studiis, ac literis revocavit; quos rei domesticæ cura ita occupat, vel impedit, ut de alia Provincia cogitare non valeant, nè dum illam suscipere; natura-raras animo ingenii dotes concesserat, quas cum fortuna invidisset, fortunatum penuria otiosas, atque inutiles reddidit, & stylum forte in aratum; libros in glebas, culturam denique animi, in culturam soli commutavit. Itaque, ut superfluis Euphyandrum abundare in votis non est, ita illum necessariis carere nolim; nec in iis, vel acquirendis, vel conservandis impeditur esse; nec divitem Crœsum esse desidero, nec pauperem Irum; paupertatem, & divitias ne dederas mibi; ut enim magnis opibus opprimitur, ita iniquiore penuria deprimitur; amplissimæ fortunæ suo pondere annum obruunt, nullæ verò plus aequum distrahunt, & in desperationem adducunt; utraque extremitas displicet, quia vitiosa est, vel ad vitium vergit.

Quanquam Euphyander studiis ita immersus, addictusque esse non debet, ut omnem aliam cogitationem excludat; rarum est Cujacii exemplum,

qui, cūm singulis diebus, studiis Jurisprudentiæ decem, & quatuor horæ tribueret, ipso nuptiarum die, septem duntaxat dedit: sed de diligentia, quam Euphyander adhibere debet, libro sequenti ex professo agam. Hoc loco, hoc unum affero, præfasas rei domesticæ angustias, & fortunarum penuriam, maximum ad rem literariam impedimentum esse, ac multos in rusticorum grege, vel operarum numero inveniri, qui, si fortè iis melior fortuna, vel benigna, faultaque stella, ut ajunt, affulisset, Euphyandri, & dici, & esse potuissent: è Republica esset, singulorum membrorum indolem, & vires probasse, eosque, qui apti ad literarum studia essent, literis dumtaxat, & Gymnasiis addicere, aliósque minùs aptos ab iisdem removere, & in aliis artibus exercere; sic longè plures singularium artium peritos haberet, ac proinde artes florerent, præser-tim militaris, quæ tot, & tantis vitiis, hac tem-pestate laborat, ut non militia, sed merum latro-cinium esse videatur: sic decem illorum millia, qui militari disciplina instructi essent, ejusque legibus obstricti, triginta millibus eorum, qui sine ulla di-sciplina vivunt, præferendi essent: sed quod hujus instituti caput est, Gymnasia tot otiosis, ineptisque ad studia adolescentibus carerent, qui aptiorum locum frustra occupant; aureum pro literis, & literatis sæculum prodiret; in dies res literaria mirifice promoveretur, popularium errorum tenebræ, qui jam dudum regnant, abigerentur: uno verbō, literæ ac literati in pretio essent, sed cuncta hæc desiderari quidem, sperari tamen vix possunt.

C A P U T X.

De Parentibus.

Duo sunt potissimum, quæ liberi parentibus suis accepta referant: primum est, quod vitam & lucem ab iis acceperunt; alterum vero, quod primo viz

vix cedit, educationem & institutionem complectitur: de immortali anima non loquor, quam supremo rerum Auctori debent; porro cum omnes animas ejusdem, & æqualis perfectionis esse, pro certo habeam, vir ingeniosus, pro ipso infusa animæ beneficio, plus Deo non debet, quam quivis aliis; nempè æqualis anima æquale utrius beneficium fuit, sed haec quid ad rem? Ad Parentes redeo, quibus cum vitam & corpus Euphyander debeat, iisdein ingenium, aliasque animi dotes profectò debet: euidem licet in Parentum libertate, ac voluntate non sit, aut saltem in potestate, ingenium liberis tribuere, tribuunt tamen non voluntatis electione, sed naturæ necessitate; si enim parentibus liberum esset filios ad libitum formare, Natura certè tot monstra passim non ederet; sed, quod in illos optimè quadrat, nesciunt, quid faciunt; masculus in votis esset, aderit fœmina; filios exquisiti ingenii, maturi judicii, aliasque tum corporis, tum animi partibus præditos summopere optarent, cum tamen stupidi, ne dicam stipites, futuri sint; igitur in potestate Parentum non est, liberos ingenio, vel judicio instructos in lucem edere, & si tales in lumen edant, naturæ beneficio tribuendum est; quamquam beneficium non est, quod necessariò fit, nec gratiæ agendæ ab eo, cui licet benè vertat, & in bonum cedat, cum tamen à benefico animo profectum non sit, sed ab ignaro sui operis, gratitudinis argumentum non est.

Hinc si, quod antiqui Philosophi fixerunt, Deus agens necessarium, non verò liberum esset, gratiæ illi profectò agendæ non essent; imò Deus colendus non esset, utpote qui, nec nostris precibus quidquam concedere, nec votis nostris respondere valeret: hinc candidè ausim asserere, si propriè loquamur, à liberis, pro eo, quò valent ingenio, nullas Parentibus gratias agendas esse, quæ & gratum ani-

animum in eo, qui beneficium accepit, esse supponunt, & beneficium in eo, qui contulit. Hoc tamen non facit, quin Parentibus liberi quidquid ingenii inest, acceptum referant, cum revera ab iisdem acceperint, quod quomodo fiat, non adeo difficile dictu est: nempe cum in substantia spermatica totius corporis organizationis, ut ajunt, seu compositionis principium, & initium sit, ex quo deinde singularis fibrarum plexus, praesertim in omnibus parenchymatis ducitur, & consequitur: certe talis fibrarum plexus a tali organizationis principio prorsus dependet: sic talis planta est, talique fibrarum plexu in ligno, cortice, soliis, floribus, fructibus: quia ex tali semine, hoc est, tali organizationis principio nata est. Præterea tale est primum illud organizationis principium, quia a tali corpore, & tali facultate, in talibus circumstantiis ita affecto, & comparato procedit: ut enim planta definit in semen, cuius organizatio primum initium est, unde similis deinde planta nascitur, idem prorsus de animali dicendum est, quod definit in semen, id est, in principium similis organizationis.

Porro licet in singulis corporibus humanis partium & parenchymatum plexus parum differant, aliquid tamen in singulis, singulare est: Huic enim v. g. plexus renum pressior est, illi rarer; ille fibras cerebri dociles, hie pertinaces habet. Hinc morbi quidam a Parentibus ad liberos, jure quodam hereditario traducuntur, ut podagra, calculus, lepra, &c. cuius certe traductionis alia causa non est, nisi ea, quae petitur ab illo primo initio organizationis, quod substantiae spermaticæ inest, & a tali fibrarum plexu Parentum derivatur. Procedunt autem morbi ut plurimum a corporis constitutione, seu, quod idem est, a fibrarum plexu: e. g. calculus concrevit ex crassiore materia in renibus percolata; Hæc autem in renibus percolatur, quia plexus

plexus fibrarum laxior est, quid clarius? Eadem est pro aliis morbis ratio, pro iis scilicet qui traduci solent: Itaque si vitia ex incomposito fibrarum plexu nata à Parentibus in filios derivantur; certè non video, cur virtutes etiam traduci non possint, v. g. corporis, nervorumque firmitas, rectus cerebri habitus; ac proinde ingenium, judicium & reliquæ dotes, de quibus suprà egimus. Hinc fortis nascuntur fortibus, nec generant degeneres aquilæ columbas. Hinc sæpe observatum est, nonnullas esse familias ingeniorum altrices, & seminaria; quisquis enim ex iis nascitur, ingenio valet, & musis, ac literis natus esse videtur; in Manutijs, Sadoletisi, Scaligeris, Picis, Mirandulanis, Puteanis, Tuanianis, luculenta sunt nobis exempla; ab aliis abstingo, nè forte aliquid invidiæ conciliemus.

Hoc tamen non facit, quin aliquando secùs accidat: nempe multæ accidunt circumstantiæ, quarum varietas effectum variat; præsertim cùm utriusque parentis ratio habenda sit: Hinc ingeniosus patens nonnumquam liberos gignit, quos non homines, sed stipites appellare soleo, inepta, & insanæ capita, quibus præter exteriorem formam hominis, nihil humanum inesse videatur: Igitur ut ex stolidis Parentibus solidi, & exquisiti ingenii proles aliquando procedit, sic ex truci milite Augustinus; ita ex ingeniosis stupidi, & stolidi liberi nascuntur. In Thoma Mor. luculentum exemplum habemus, qui cùm inter doctissimos, & maximo ingenio præditos sui temporis merito & jure haberetur, filium ex uxore suscepit, vix sanæ mentis, & ad literas capeſſendas ineptissimum; unde cùm Thomas vir facetus esset, per jocum dicere solebat, uxorem suam prolis & infantis cupidissimam, eum tandem infantem peperisse, qui quoad viveret, infans, & puer futurus esset. Itaque licet aliquando liberi Parentibus, in dotibus ingenii dissimiles sint,

ut plurimum tamen similes esse videmus; & Augustinus Adeodatum genuit, cuius ingenium, non modò ingenium Patris adæquabat, verum etiam vel ipso ultro fatente, ac stupente Augustino, superabat.

Sed ad institutionem & educationem orationem converto, quam liberi suis Parentibus debent, & pro tam singulari beneficio, obstricti manent, iisque immortales gratiæ agendæ sunt, nisi turpissimam ingrati animi notam sibi jure inuri velint. Educatio, vel institutio pueri & adolescentis ad instar novæ cujusdam naturæ est, cuius accessio, si bona est, prioris vitia castigat: si verò prava, prioris virtutes expungit: primâ illâ instituendæ vitæ tinturâ, itâ animus imbuitur, ut colorem deinde mutare non possit, prima illa simulacra, ac impressæ affectiones itâ cerebrum occupant, ut in hoc deinceps primas obtineant: fibræ illæ rectis, & rationi consentaneis motibus afflvescunt. Hinc ad eosdem dociles evadunt; contrà verò indociles ad oppositos & contrarios motus; hinc boni habitus, hoc est, ascitæ habilitates benè agendi. Porrò cuncta hæc ex illa institutione conseqvuntur: hinc meo judicio, pro recta educatione liberi Parentibus plurimum debent; hinc Parentes proli, sibique, ac suæ familiæ consulunt, si eâ, à quâ part, diligentia, liberos rectè educari, ac institui current; & verò vix natus infans, & in lucem editus Parentum cura, & institutione indiget, pro recta scilicet corpusculi conformatio; nempe adhibitâ fasciarum operâ, cuncta serè corporis vitia castigari, vel arceri possunt; procurent igitur, nè vel frons plus æquo lunetur, vel excavetur; nè occiput in cucullum, vel conum turbinetur, vel capitis vertex in pyramidem fastigetur; vel tempora nimium contrahantur atque subsident.

Mollem ceram in manibus habent, in quam omnem

omnem formam ad libitum inducere queunt: hinc
nasus recte formari, os, & labra componi, lunari
supericia, genae aptari, crura, brachia, digitii, om-
nes artus, pectus, dorsum, & humeri eō, quō par-
est, modō, accommodari possunt. Præterea recta
incessūs ratio, rectus loquendi, edendi, ridendi,
gestuum denique & motuum omnium modus indui-
potest: prima jaciuntur veritatis, ac virtutis semi-
na, & prima rerum simulacra molliori cerebro im-
primuntur, quæ deinde altius insita perseverant;
arcem illam Capitolinam sibi vendicant, & quid-
quid deinde admittitur, non civitatis Jure, sed hos-
pitii nomine admitti censetur: hinc alteram quasi
naturam in prima illa institutione agnosco, quam
nisi Parentes diligenter procurent, & deformes fœ-
tus lambant, scorpiones, & viperas in finu fovent;
naturæ vitia non modò non castigant, verū etiam
nutriunt: hinc si vel Parentum incuriā, ut sæpè
fit, vel penuriā, pueri primis illis honestæ institutionis
rudimentis careant, vix ullum inter illos Euphy-
andrum invenies; penuriæ vitio libenter ignosco;
incuriæ tamen ignoscere non possum; immò gravissi-
mis poenis reos parentes illos accuso, quorum in-
curiā, recta illa liberorum institutio omissa est: præ-
staret non genuisse, quām genitos minimè institu-
isse; præsertim si commode fieri possit: in choreis,
in aucupio, in venatione, in rebus amatoriis, in
ludicris, obscenisque scenis liberos exercent, de li-
teris, & virtutibus, aliisque exercitationibus, quæ
nobiles magnopere decent, altum silentium; sed à
Parentibus, ad magistras gradum facio.

C A P U T XI.

De Magistris.

QVid & quantum scimus, vel nescimus, ma-
gistris nostris debemus; pauci enim sunt
αὐτοδιδάσκαλος, qui sibi debent omnia, quæ
sciunt,

sciunt; quod simus, parentum donum est; quod verò sciamus, magistrorum beneficium; utri verò parti plus debeamus, non levis controversia est; sunt qui parentibus, & naturæ primas tribuant; alii verò magistris, & arti. Certe utrísque plurimùm debemus; nempe ars naturam supponit, & instruit; natura verò artem excipit, atque sustentat; ut scias, reverà debes esse, frustra verò essem, nisi scires. Igitur utrísque multum debemus; plús ne his, an illis, scire parum interest, ne dum disputare: porrò eximium magistrum Euphyander nanciscitur, vel parentum diligentia, vel Casu. Parentes hoc unum potissimum curare debent, ut eximios liberis suis magistros, ac Praeceptores inventiant; nec enim pueris optio datur: & verò ridiculum est, tantam diligentiam adhibere, ut generosum eqvum, omnique vito carentem tibi compares, & tantâ incuriâ moderatorem, & institutorem egregium tuis liberis accersere; quod pro his dumtaxat dico, qui sub Parentum potestate sunt; quisquis enim sui juris est, eaque prudentia, quâ de rebus rectum judicium ferre valeat; parùm sanus reverà esset, nisi optimum magistrum eligeret: ex hoc quippe delectu, optima vitæ in posterum agendæ ratio prorsus dependet; multi enim sunt, qui si alios inferioris notæ, atque ordinis magistros habuissent, vix illum in literis progressum fecissent, cùm tamen maximum fecerint; contrà verò ii non desunt, qui cùm nihil ferè sciant, si meliore usi essent magistro, viri doctissimi evasissent: igitur hoc caput est maximi momenti, quod ad Euphyandri rem & utilitatem plurimùm conducit.

Quænam verò sint optimi magistri partes, definiendum restat; ego quinque dumtaxat desiderarem: scilicet valetudinem non male affectam, honestos, probatosque mores, scientiam, methodum, diligentiam, sanitatem in eo desidero; nempe docere,

cere, ut par est, res ardui negotij esse videtur, nec non laboris, ab eo minimè ferendi, cuius vires per morbum fractæ sint. Adde quod multiplex est ægritudinis contagiofæ genus, quò si fortè magister laboret, maximum certè periculum est, ne in discipulos traducatur; ut potè qui laxiore, ac teneriore fibrarum plexu consistent, qui vel minimam autam afflatam facile excipit, & à contagioso habitu aspirato facile imbuitur: sicut vulgari proverbio fertur: ovis scabiosa totum gregem inficit, & minima scintilla maximum aliquando incendium accedit: scio magnam Virginum Deo sacrarum multitudinem phtysi exaruisse, in celebri monasterio, quòd una illarum initio in eum morbum incidisset, ex qua ad alias tetra illa pectoris, & pulmonum lues traducta est: quod verò ad honestos probatissime mores spectat, non est dubium, quin iis Euphyandri magister esse, ac præstare debeat; ut modicum fermentum totam massam corrumpit, ita corrupti mores totum animum, totumque hominem corrumpunt.

Hæc fraus illorum hominum fuit, qui malorum sectarum principes extiterunt; ut scilicet eos haberent, & mitterent emissarios, ad homines in fraudem inducendos, qui bonas artes callerent, latine, ac nitidè dicerent, iisque alioquin bonis illecebribus multam caperent prædam. Venenum facile gliscit, & per venas fluit; vel minimus viperæ morsus, non modò partem illam, quam deus veneficus confixit, male afficit, sed totum corpus, atque adeò cor ipsum, temporis ferè momento subbit, ac permeat. Porro venenum sub mellea crusta, vel aurea bractea facile latet; sic anguis grata & amoena regitur viriditate; magister in discipulorum benevolentiam se se insinuat, eoque ab iis habetur loco, quem alioquin raræ illius animi dotes Postulant; igitur, ut eum discipuli maximè faci-

faciunt, & maximè diligunt, ità ejus verba, & sensa perinde, atque alicujus numinis effata, & oracula excipiunt. Adde quod erga res novas juvenis, ut plurimùm valdè propensa est; præsertim si docto quodam, & ingenioso apparatu & modo porriganter; denique mollem ceram in discipulis invenit, in quam ad libitum quamlibet formam inducere potest; uno verbò, nihil est, quod iis, præsertim si arte valeat, persuadere non possit.

Itaque pudeat nobiles aliquos, & ingeniosos adolescentes, qui cùm pro Euphyandris haberi vellint, Epicurum Socrati, Democritum Aristoteli, Machiavelum Salomoni, Machometem Christo præferunt; quo animo, quo fine, quo fructu, qua conscientia, viderint ipsi; nisi fortè, quod ut plurimùm accidit, cæcutiant. De Magistri scientia, nihil est, quod dicam, cùm res ipsa per se loquatur; quis enim doceat, quæ ipse nescit? immò perspicuum est, te scire, si facias, ut ea, quæ scis, alius sciat; malim autem magistrum pauca revera scire, atque adeò pauca docere, quām multa docere, quæ ipse nesciat, quæ certè ab illo discipulus non discet, cùm ea dumtaxat verè discat, quæ magister verè docet, & apprimè tenet: immò sinistè ille false doctrinæ illapsus deterrima ingenii pestis est, & pessimum, si quod aliud est, rei literariæ virus; ut jam *suprà ostensum* est. Et verò licet Euphyander à magistro pauca discat, ex his tamen perinde quasi jactis principiis, fœlici, & minimè operoso ratiocinio, alia ferè innumera proprio marte deducit.

Porrò quānam disciplinæ à magistris Euphyandro habendæ sint, in tertio bujus opusculi libro, fuisse, ac ex professo exponam: quod spectat ad methodum docendi; tu eam videbis in nostra methodo, nè alibi dicta frustrè hic repetam: methodus mathematica, sive analysim, sive syntheses adhibeat, opti-

optima omnium & facillima est, quâ scilicet ex jactis explicatisque principiis, conclusiones, & propositiones deducuntur, ac demonstrantur, & quasi totidem uniones, vel adamantes in doctam catenam conferuntur. Porro *ibidem* habes, quæ à magistro præmittenda sint, quæ postponenda; quæ accuratiùs, quæ sæpiùs inculcanda; quæ semel dumtaxat indicanda. HABES MEDIUM, QUÒ DOCENDA, LENTO PRIÙS IGNE, TARDÓQUE CALORE COQUENDA, PRÆPARARE, AC DEINDE TRADERE DEBEAT; TU VIDE SIS. Cæterum quod attinet ad publicos professores, qui frequenter scholam instituendam suscepere, illi communia dumtaxat tradere debent; cum singularia, & nova majoris partis captum superent; & verò communitas, ut sic loquar, rerum communium tandem modò capax est; singularia, & magis ardua à paucis capiuntur: igitur docenda publicè communia, singularia verò privatim in lucem edenda; si enim communia, nihil nisi recoclam crambem lectori porrigit. Denique quod ad diligentiam magistri pertinet, non est dubium, quin ea singularis esse debeat, tum in præparandis, tum in tradendis prælectionibus suis; quod reverà, non modò maximæ diligentiae, verùm etiam maximæ prudentiæ est; est modus in rebus, isque potissimum in relietaria tradenda, & adolescentibus instituendis, quorum diversa indoles, rerumque tradendarum ratio, diversum modum, & industriam postulat. Sunt, qui multa lectione, alii longa duntaxat meditatione, alii multa explicatione indigent, ut discant; sunt qui multum magistri labore, & operam; sunt qui modicam, omnes tamen multam industriam, & diligentiam postulant, ut doceantur: uno verbō, ut eò redeat, unde profecta est oratio, magistrorum curæ, vel incuriæ discipuli, quantum sciunt, vel nesciunt, saltem ut plurimum debent.

C A P U T XII.

De Temporum ratione.

Euphyander æternitati simul, & tempori servit; hinc temporum rationi plurimum debet; haec nempe, si benigna est, & propitia ad rem literariam plurimum conducit; si vero iniqua, & maligna, non parum nocet; quædam tempora ita literis ac literatis floruere, ut aurea & docta saecula non immertò nuncupentur; quædam vero ita barbaris, tum moribus, tum hominibus de honestata, & ut ita dicam efferata fuere, ut literas & literatos omnes proscriberent, & suis finibus arcerent. Hinc Musæ cum Apolline suo in montes, ac solitudines, ferarumque receptacula se receperunt. cum ferinos Civitatum mores ferre nequirent; multi sanè in ea tempora inciderunt, in quibus cum Barbari & barbaries regnarent, nihil nisi barbarum præ se tulerent, qui tamen alias eximiis animi detibus pollebant: imò non defuere inter Principes, qui rem literariam perdere, ae penitus extinguere tentarunt, quorum alii Philosophos, alii Mathematicos, Rhetores alii, alii Medicos ex civitatibus suis expulerunt; contrà vero extiterunt alii, qui literas & literatos in pretio habuerunt, cum in rebus humanis nihil pretiosius esse viderent, disciplinas omnes amarunt, foverunt, pro viribus auxerunt; viros eximia doctrinâ instructos, maximò etiam stipendiò proposito, undique conquiri jusserunt, & accessitos magnis honoribus, & præmiis cumulârunt.

Quid plura, Mecœnates studium excitant: Leo X. & Clemens VII. liberales artes, ac disciplinas magni fecere; hinc antiqua illicò latinitas in Urbem rediit; Roma paulò antè semibarbara, cultissima evalet; eruditi omnes accessere; pristinus styli cultus restitutus: binc Bembi, Sadoleti, Mori, Nigris, aliquique viri omni literaturæ genere præstantissimi.

De

De Laurentio Mediceo nihil est, quod dicam, qui omnium doctorum hominum sui temporis liberallissimus Mecænas fuit, novâmque Florentiam in veteres Athenas commutavit: in Gallia Carolos, & Franciscos habemus qui ad promovendas & amplificandas literas, nulli labori, industriæ nulli, nullisque sumptibus pepercerunt. De magno illo Cardinali Richelio recenti & jucundâ memoriâ tenuimus, illum non modicam præ se tulisse erga literas propensionem, eaque obtinuisse, ut multi vernaculae nostræ linguae nitorem conciliârint; alii Poësim nostram mirificè promoverint, & rem tum Comicam, tum Tragicam eò adduxerint, ut innumeræ, quæ illius tempore prodierunt, Tragœdiæ, vix antiquis cedere cogantur; alii varias lucubrationes, omni eruditione refertas, styli elegantiâ decoras, rerum argumentorūmque inventione jucundas ediderint; unò verbô: date nobis Mecœnates, & multos Horatios habebitis. Porrò quid de Serenissima hujus sæculi Heroïna Christina Suecia Regina dicere non possem? quæ præter formam & sexum nihil planè fœmineum habet, atque adeò propensa est erga literas, quas tanto animi ardore hactenus coluit, ardorique felix respondit eventus, nec non erga literatos, quos in pretio semper habuit, suisque beneficiis impensè prosecuta est; certè docti omnes ac eruditæ facere non possunt, quin borealem illam Minervam suis laudibüs in cœlum efferant; huic officio nunquam deero, qui polarem illam stellam dudum suspicio. Quid de Serenissimo magno Etruriæ Duce, illiusque Germano Serenissimo Leopoldo S. R. E. Cardinale, qui mirificis, & magnificis modis, rem literariam omnis generis impensè hactenus promoverunt, eaque præstiterunt in hunc finem, quibus omnium literatorum gratulationes, & elogia sibi vendicârunt.

Cæterum Principibus viris facilior modus non est,
quo

quò suum illi nomen , laudésque suas immortalis commendent memoriæ , quām si literatos homines , quā meritis , quā beneficiis sibi devinciant , qui deinde tum gratum suum animum , tum Principis sui magnificentiam literis consignent , & posteritati committant ; & verò quòd Principes putidum quemdam adulatorum gregem suis saginent beneficiis , hoc unum dumtaxat consequuntur , quòd & in subditorum odium incurunt , qui auxilias illas sanguisugas ferre non possunt , & apud ingratos animos sua beneficia deponunt , qui non Principis , cui turpiter adulantur , sed sui dumtaxat , & malè parti quæstūs amore ducuntur ; utilius profectò esset , honorisque ipsis ac immortali gloriæ verteretur , si quod ii profusè in canes , scuras , histriones , & palpones effundunt , non quidem avarâ parsimoniam reconderent , sed liberali manu doctis & eruditis hominibus elargirentur , qui deinde accepti beneficii non immemores , liberalissimi Principis nomen in cælum efferrent ; neque hic præcipuus hujuscce liberalitatis fructus esset , nempe hoc incentivum præsentissimum esset , ad excitanda ingeniorum studia , multorumque animos accendendos , quia loquin vel desidiâ sordeſcerent , vel alterius lucri spe ad alias artes sese converterent ; illa profectò temporis ratio in votis esset , & summopere optanda , ad rem literariam promovendam ; multi Alexandri expetendi sunt , ut multos Aristoteles habeamus , imò multi Aristoteles operandi , qui multos Alexandros doceant , & faciant .

Contrà verò illa temporis ratio timenda est , quæ literis & literatis iniquiorem se præbet ; quæ doctos homines ex Principum aula proscriptibit , eosque ut ineptos & inutiles ad rem publicam juvandam traducit ; quæ ignorantia , otio , feritate ac tumultu ascitis , ferinos inducit mores , cuncta propagat vitia , omnes virtutes exturbat , ipsam demum

num humanitatem ex hominum cœtu exulare cogit. Adde, si vis bellorum vastationes, civilium tumultuum procellas, Barbarorum excursiones, vastos terrarum motus, inundationes, & diluvia, pestes, & contagia, excidia, & incendia; cuncta hæc lethales sunt literarum & literatorum plagæ; hæc procellæ multos passim viros doctos absorbere visæ sunt; miser ille, & infortunatus Brissonus Parisiensis Senatus meritissimus ac doctissimus Præses, lugubri sanè recordatione, mihi jam in mentem venit, quem sub proximè elapsi sæculi finem civiliū tumultuum turbo, quamvis innocentissimum abstulit; ab iis graffatoribus, ac perduellibus (sic enim eos jure vocarim, qui nec suæ, nec adversæ parti accepti fuere) ab iis enixè flagitabat, ut sibi ad aliquid tempus etiam in vinculis vivere liceret, dum ultimam manum lucubrationibus suis ad moveret, futurus deinde contentus, miseram hanc vitam etiam laqueo, cum æterna, & immortali commutare; sed à Christianis non obtinuit, quod à Barbaris obtinuisse; atque adeò non sine bonorum omnium luctu, & maximo rei literariæ detimento scelerorum hominum manibus occubuit; ab aliis exemplis abstineo, ne forte naniam plangere videar: itaque, ut eò redeat, unde discesserat oratio, varia temporum ratio literatorum sortem plurimum variat; optima Euphyandro meo optanda est; de hoc studio privatus, illa præstare non possit, quæ ab illo jure, ac meritò expectares; & hæc de primo libro sint satis.



LIBER SECUNDUS,

De acquisitis, & sponte ac studio comparatis.

Hactenus de iis egimus, quæ vel à natura Euphyandro insita sunt atque indita, vel ex-trinsecus, etiam invito acciderunt: nunc vero ratio postular, ut de iis agamus, quæ marte suo, & singulari studio acquirit; cum enim à na-zura perfectus, & numeris omnibus absolutus non sit, arte profecto, ac studio perfici, atque ornari posset; quenam autem ea partes sint, quas sibi comparare debet, sequentibus capitibus expono.

CAPUT PRIMUM,

De libertate animi.

Liberales artes, & humanae disciplinae liberum animum, & hominem desiderant; uni tantum veritati, eidemque demonstratae servire didicerunt, ab omni factionum tumultu liberæ, omnium se-ctorum juga excusserunt: equidein in rebus divinæ fidei, hominis intellectus se captivum esse ultrò fa-tetur; quis enim divinæ auctoritati non cedat; quis Deo errare nescio, quamvis ex tenebris, & nu-be loquenti, fidem detrectet? Præterea in re civili, & humana societate, multa multis credere par-est, si enim fides humana ex hominum coetu exu-let, de humana societate actum esse videtur; Deus hominibus suo præluxit exemplo, qui oppignera-tam fidem nunquam sesellit, nec fallere potuit: hinc pessima sunt illorum consilia, qui Regibus, ac supremis Principibus auctores sunt, ut oppignera-tam violent fidem; præsertim si haec regio diplo-mata firmata sit; multum inde auctoritati regis detra-

detrahitur, subditi enim regio exemplo, juratam fidem facile violent; igitur in re civili, humanæ societatis est, ut unus alteri fidem habeat, & servet; at verò in re literaria, secùs accidit; licet enim auctoritas magni momenti sit; si tamen omni rationis præsidio careat, non video eam esse, cui Euphyander assentiri, ac sese dedere jure debeat: hinc jurare in verba magistri non debet, nisi veritas ipsa magistra sit; nec Thomistis, nec Scotistis plus æquo addictus esse; amici omnes sint veritatis amatores; omnium certè sectarum capita suspicere ac veteri potest, nou tamen vilis ad instar mancipii, servire; præsertim cum de illorum mente, ut plurimum dubitetur; hinc tam multi doctissima in Aristotelem Commentaria scripsere, qui tamen inter se nullo modò conveniunt? quis magis à D. Thoma dissentiat, quām subtilis Scotus? quis magis ab utroque alienus, quām Ochaimus? licet hi tres à partibus Aristotelis se stare profiteantur: sic multi scripserant in magistrum sententiarum, vel in summam D. Thomæ, qui tamen inter se toto cœlo discrepant.

Itaque Euphyander libertatem animi retineat, nulli parti se mancipet, nè aliquando errori servire cogatur; in eo semper statu sit, in quo de rei propositæ veritate liberè judicet; ubi rationi det manus, eique demonstrativæ; omnem aliàs sustineat assensum, sciátque, ex assensu probabili, si falsum esse contingat, qualis reverà esse potest, multiplicem errorum sylvam sobolescere; præoccupatum animum humanarum scientiarum, teterimam pestem esse; & ut res administrandæ justitiae præjudicium fugere, ac timere debent, ita humanæ disciplinæ præoccupationem. Igitur è re nostra est, si Euphyander præfatam illam animi libertatem præferat, ut liberiūs philosophetur; nec ullo alio vinculo teneatur, nullique necessitatis legi subsit,

nisi fortè illi, quâ ex præmissis principiis certis, & evidentibus, conclusio necessariò consequitur: videat tamen, ne dum liberè illum philosophari volo, carpentarium illum, nescio, quem imitetur, qui librum à se editam liberæ Philosophiæ nomine inscripsit; cum tamen ille libellus (nec enim magnum Codicem facit) erroribus, calumniis, & tumultuariis imò, & damnatis propositionibus scateat; cloacam dicerem, si paulò amplior esset; unum est, quod in homine illo mirari satis non possum; cum enim à veritate, toto cœlo aberret, res omnes à se discussas pro demonstratis venditat: Aristotelem, quem passim carpit, & pungit, sibi parrem non esse, parum abest, quin juret; vel inde auram scholasticam captat, quod cum Aristotele congrederetur; sed ô bone, statuam, vel umbram eximii illius Philosophi, petis, corpus illius, & mentem minimè attingis, nè dum lædis: Epicureis quibusdam haud absimilis, qui in eandem arenam descendunt: sic Achillis umbram Therites etiam aggredi auderet, & Pygmeus statuam Herculis.

Sed inquies, Aristoteles non placet; non cibi, crede mihi, sed palati vitium est; si fortè intelligeres, haud dubiè placeret. Non nego, Aristotelem hominem fuisse, nec sine suis nævis, quamvis iūi rarissimi sint, & scio, moneoque, ab eo discedendum esse, quoties vel divina fides imperat, vel manifesta ratio cogit, vel evidens experimentum contrarium evincit; imò nolim ut placitis Peripateticis affensem præbeas, si nulla ratio auctoritati accedit: dico tamen, sīque omni asseveratione, innumera propemodùm esse in Aristotele, quæ cum recta ratione consentiunt. Idem pro rebus Theologicis de Angelico Doctore, Scoto, Alensi, Bonaventura, aliisque magni nominis Theologis dicendum est: uno verbo, ità liberè philosophandum, ut errori, factioni, sectarum dissidijs minimè ser-

vias, sed uni duntaxat veritati, quam, quod de virtute dicitur, etiam in hoste amabis; sit amicus Plato, & Aristoteles, sed magis amica veritas; pecudis est non hominis, aliorum duntaxat exemplo. in præceps errorum ferri, & factionis jure delinquare; Dii meliora Euphyandro meo, quem ab his vinculis liberum esse volo: hoc est liberum animo, ea scilicet libertate, quæ de re omni proposita liberae judicet; judicet inquam, sed eo judicio, quod recta ratio sugessit, & felix demonstratio conclusit: liberum etiam ab iis cupiditatibus esse velim, quæ nunquam sine anxietate, ac perturbatione animum esse sinunt; immodica spes, & nimius timor Euphyandrum non decent; illa enim dum plus æquo extollit, capiti vertiginem conciliat; hic vero, dum plus justo animum deprimit, eundem in præceps, nec non in desperationem agit: pauca sperare in rebus humanis, & nihil præter Deum timere, sapientis est, eoque semper esse animi statu, & scitu, quo nulla illum perturbatio, vel cupiditas deturbet; nullus timor, vel anxietas disiciat.

Præterea alia quædam animi libertas est, quâ Euphyander si valeat, studiorum suorum Dominus est, nec ita uni spartæ addictus, quin eam abjiceret, & alteram suscipere possit: illa mentis, & animi tenacitas, quâ intelligendi facultas susceptæ Provinciae ita mordicūs adhæret, ut ab ea divelli nequeat, in plerisque laudanda est; nam inde fit, ut tenax ille animus magnos in ea facultate progressus faciat, & illa, ut ita dicam pertinacia, id tandem obtineat, quod nunquam aliás obtinuisset; hoc tamen Euphyandro vitio vertitur, quem ea libertate animi esse volo, ut prout res feret, huic, vel illi facultati, & disciplinæ operam navet; novi aliquem, qui hoc se laborare vitio cùm ægerrimè ferret, illud aliquando mihi, eo, quo est animi candore, significavit, cum enim ex professo, ac in-

stituto studiis Theologicis operam navaret, si forte aliquando de aliquo problemate Geometrico solvendo cogitasset, & quasi aliud agendo, animum ad hanc materiam, vel tantulum applicuisset, in ejus deinde potestate non erat, pedem referre, & Theologiam repetere; nec modò multos dies, verum etiam hibdomadas, imò, & menses Geometriæ concedebat, à qua divelli non poterat, quantumvis maximum animi nisum adhiberet, nisi vel optatum finem obtineret, vel insigni aliqua rerum mutatione affectus, & commotus esset; tunc enim mutato fibrarum tramite, factus sui compos, ad suam Theologiam facile redibat: itaque licet ex hoc tenacioris animi vitio, aliqua commoda orientur, quia tamen longè plura ex eodem incommoda procedunt, Euphyandrum illo penitus carere velim, atque adeò illa pollere animi libertate, quā & à sectarum factionibus, & à cupiditatum anxietatibus, nec non præfato illo tenacioris animi visco liber evadat.

C A P U T II.

De applicatione ad studia.

VIS omnis, & virtus frustra est, nisi ad effectum exerendum admota & applicata sit: Sic ferrum quod nunquam ex vagina educitur, inutile est, & brachia, quamvis nervosa & valida, si continuè decussata sint & otiosa, ad Reipublicæ vel Patriæ utilitatem, & commodum, nullo modò conducent: Euphyander hoc unum à se obtineat oportet, ut ad studia literarum animum facile applicet; quo enim fructu & fine, eximio pollet ingenio, nisi illius opera utatur: sigillum quidem cum molli cera in manu est; nisi tamen illud huic imprimas, nihil reverà sigillo munitum habebis: anima nostra ad instar tabulæ rasæ est; nisi signa rerum & simulacra insint; nihil profectò scimus; ut verò insint, impri-

primenda sunt ; ut denique imprimantur , animus ad res ipsas applicandus est ; multi sunt , qui licet ingeniosi , & laboris studiisque patientes sint ; manum tamen operi admovere nesciunt ; vel enim rebus aliis exterioribus distenti atque distracti , animum ab iis divellere nequeunt , ut ad literarum studia eundem applicent , vel continua deliberatione occupati , vix unquam concludant , quid sibi agendum , quid omittendum sit ; unde ducendum initium ; quæ via ineunda , quæ provincia suscipienda , quid manè , quid vesperi , quid pomeridianis horis faciendum , quæ laboris , & studiorum mensura ; quæ ratio , quæ methodus , quid præmittendum , quid postponendum ; quid majori , quid minori diligentia discutiendum sit ; inde perplexitas , & vacillans animus , qui reverè dum ita affectus est , sese ad studia applicare nequit . Igitur Euphyandrum meum talem esse volo ; ut in ejus potestate sit , ad literarum studia facile animum applicare , facile inquam , nè fortè si difficile , difficultas illum à studiis avocaret ; sed de facilitate agendi paulò post acturus sum , qui tantum hoc loco , de applicatione ago , quæ certè quanti momenti sit in re literaria , vix dici potest ; nempe intelligendi facultas optimum instrumentum est , cuius operam si rectè adhibeas , nihil ferè est quod ab ea sperare non possis ; cogita si vis , esse ad instar spongiæ , quæ vix aquam tangit , cùm illicò tota humore imbibitur ; aut certè ad instar Cameleontis , qui colores omnes sibi appositos statim induit ; vel potius ad instar nitidi speculi , quod admotam imaginem subito exprimit , atque reflectit ; ceram mollem supra vocavi , cui signum facile imprimitur ; & tabulam rasam , quæ nihil nisi penicillum expectat ; una duntaxat applicatione ingenioso adolescenti opus est , qua si careat , nullum in literis progressum faciet .

Contrà verò si ea non desit, rem literariam misericè promovebit; quid porro si animum ad literas applicare, adeò notum est, ut alia explicatione non indigeat; liberæ voluntatis opus est, cui cùm reliquæ facultates & potentiae subsint, in ejus potestate est, iisdem ad libitum uti, earumque operam adhibere, necessarium scilicet, ad intentum finem consequendum; imò intellectus seipsum determinare & applicare non potest, sed imperium voluntatis & nutum exspectat: hæc enim facultas determinationis, & electionis potestate pollet. Igitur præfata applicatio præter imperium voluntatis, ex quo sequitur, nihil aliud est, nisi tale, vel tale studium, hoc est, lectio, scriptio, meditatio, ruminatio, attentio, & auditio; quid enim aliud literarum studia desiderant? Igitur in sola voluntate cuncta hæc posita sunt; & modò vir ingenio pollat, atque adeo ingenio uti velit, ejusque operam adhibere ad literarum studia capessenda, nullum dubium est, quin doctus evadere possit; hinc plerumque accidit, ut per obstinatam voluntatem stet, quo minus ingeniosus adolescens humanas disciplinas aggrediatur, ac feliciter superet; per ipsum inquam stat, cùm iis omnibus dotibus instructus sit, quæ ad præfatum finem conducunt; hinc voluntas, vel à literis aliena, vel difficultatibus quæ in re literaria occurrere solent, deterrita, vel aliunde distracta, castiganda est; ejus pertinacia frangenda; timores abigendi; fuganda somnia, ocurrentes scopuli complanandi, via instruenda ac ineunda.

Vnum tamen est, quod præ cæteris timendum, atque cavendum esse puto, scilicet longior quædam deliberationis mora & nativa quædam indeoles, quæ nihil unquam ferè statuit, nihil definit, omnis determinationis incapax: multa in deliberationem vocat, sed nihil unquam concludit: hinc quisquis hoc laborat vitio, nunquam apud se statuit, quod-

dam vitæ genus sibi magis congruat, quæ studiorum ratio, quis vitæ modus, quo loco subsistere debeat, quibuscum agere, quantum temporis huic, vel illi operæ tribuendum sit: illius animus in anticipati semper versatur: nihil fixum ratumque apud illum est, nova in dies consilia captat, quæ nunquam executioni mandat: quid plura, quisquis hoc vitio laborat, nisi resipiscat, animum ad studia, eo saltèm, quo par est modo, applicare non potest: quod reverè nisi faciat, nullum in literis progressum faciet: quod autem resipiscere possit, si velit, extra dubium est: hoc enim voluntatis vitium potius, quam intellectus esse videtur. Porro vitium voluntatis voluntarium est, quo seipsum voluntas liberare potest, si velit

C A P U T III.

De diligentia.

VEntres pigros odit sapientia, & sapiens in formicarum scholam amandat; ut vel ipsi homines ab animalculis, & insectis illis diligentiam discant: & verò ea est mortalium miseria, ut à bestiis multa discere cogantur; à volucribus modum navigandi didicimus; ab araneis & bombycibus texendi; venandi à canibus; à falconibus aucupandi; ab aviculis canendi; à formicis annonæ in proximè futuram hyemem recondendæ; denique, quod ad corporum morbo correptorum curam pertinet, varia à variis animalibus remedia accepimus; hinc sanguinis emissionem; inde alui purgationem; aliunde clysteris usum; quid mirum ergo, si pigrum hominem sapiens monet, ut ad formicas adeat, & earum exemplo sapere, & diligenter agere discat. Porro si qua in re, diligentia necessaria est, non dubitas, opinor, ad rem literariam suscipiendam, & promovendam, præsertim, ac potissimum necessariam esse; nempe *ars longa &*

vita brevis, ut recte monebat Hippocrates; igitur ad artem sibi comparandam, in tantis brevissimæ vitæ angustiis, diligentia, & celeritate opus est; si verò ad unam medicam artem, illam quidem præstantissimam; quid amabo ad humanas omnes disciplinas sibi comparandas: in stadio versamur, metam illam aspicimus, optatumque finem obtinendum: tempus breve est; igitur cursu, eoque celeri opus est.

Quis autem in stadio non currat? quis te studio greffu incedat? stadium ingressus, nisi theses suas ludibrio, ac se se omnium sibilis exponat: hinc vulgo, barbare licet, cursum Philosophicum, vel Theologicum appellamus; hoc est, diffinitum illud biennii, vel triennii tempus, legendæ & tradendæ Philosophiæ, quod scilicet huic operi non peditentim, sed cursim vacare debeamus; illud enim absolvi non potest, nisi multa diligentia, & festinatione adhibetur: quod tamen biennio, vel triennio, totam Philosophiam comprehendimus, non ita sanè accipiendum est, ut tam brevi tempore perfectus, & numeris omnibus absolutus evadas; utinam peracto biennio in amplissima, & nobilissima illâ facultate, tolerabilis Tyro evaderes, cui scilicet vix tota vita quantumvis longa sufficeret; hinc forte cursus philosophicus appellatur, quod illô biennio, vel triennio, cursim dumtaxat, & leviore manu res Philosophica discutiatur. sed de hac ex professo, libro sequenti agam: itaque in hoc studiorum, & literarum stadiò, alacriter curritur, sine mora, & remora: hinc forte studium, & stadium, unâ dumtaxat vocali differunt, quod scilicet, utrumque diligentiam, & celeritatem desideret; hoc quidem in corporis cursu, illud verò in animi motu: porro quid sit illa diligentia, quam in Euphyandro desidero, non difficile intelligitur; est enim fervor quidam, & ardor animi, quod ingenio-

geniosus adolescens , non modò provinciam alacriter suscipit , verùm etiam susceptam strenuè prosequitur : adde saltem mediocrem rerum illarum curam , quæ ad literarum studia pertinent ; nempè dare operam debet , ne quid omissitat , & præteat , quod faciendum sit .

Alacritas illa liberiorem , & capaciorem animam reddit , & quasi explicat , ut scientiarum thesauros largò , & apertò sinu excipiat ; illa verò cura , & mediocris sollicitudo tempus otioso frustra fluere non sinit , nullámque diem sine linea elabi permittit : hoc autem unum curæ potissimum esse debet ; tempus enim præcipiti cursu incauto fluit , & incogitanti perdita labitur hora : multa certè hominem à literarum studiis avocant átque distrahunt ; & nisi diligenter ille procuret , ut sit sui temporis arbiter , maximum periculum est , nè maximam illius partem inutilem traducat ; odi certè sordidam temporis usuram , sed liberalem illius usum probo , & laudo .

Ut ergo multa sunt , quæ animum distrahunt , amici , ludus , colloquia , negotia , curæ , voluptas , &c. ità singulari studiò in id occumbat oportet , ut iis omnibus literarum studia præferat ; non quod aliquando animus remitti , & relaxari non debeat , ut dicam paulo post , sed quod illa studiorum , & literarum Provincia , singularis , & potissima esse debeat , cui reliqua accedant , non ut ab illa hominem avocent , sed ut fessum , & defatigatum recreent : ut verò diligentia binas illas partes complectitur , ità duo vitia sunt , quæ illi opponuntur , primum est , quidam animi torpor , & stupor præsatæ alacritati oppositus , quò mens sui vigoris oblita , quasi obrigescit , & in stipitem degenerat ; vix oculus aperit somnolenta , vix se mōvet stupidæ , & prostrata , vix sese erigit : otio etiam immortalis hominis animus asvescit , & torpet :

igitur veternum excutiat, nativam caloris vim suscitet, igneum illum vigorem excitet, quem ipsa natura indidit: alterum vitium diligentiae oppositum est incuria quædam & negligentia, quâ & tempus inutiliter teritur, & fallendi temporis occasiones captantur, & somno, ludo, confabulationibus liberalius indulgetur; his sese opponit diligentia, quæ otium fugit tempus bene collocat, se se ab iis expedit, quæ progressum in literis retardare queunt; uno verbo, sollicita, non anxia; fervens, non præceps; alacris, non levis; occupata, non impedita; tacitura, non austera; hilaris, non distracta, præfata literarum Provincia optimè defungitur.

C A P U T IV.

De Constantia, & Patientia.

Ilud naturalem inter & violentum corporum motum discriminis intercedit, quod naturalis, initio quidem paulò lentior, & tardior sit, at sub suam factū celerior vires acquirat eundo; violentus verò primū quidem vehementior, & velocior, tum deinde dē pristino vigore multū remittens in meram quietem definat; sic communi, vero tamen adagio fitur, nihil quod violentum sit, diuturnum esse; natura enim violenti motus diu patiens non est, qui scilicet naturæ vires exhaerit. Itaque animus, qui sese ad studia literarum applicuit immoderato impetu, & ardore rem illam aggredi non debet, ne perinde, ut fieri solet, inchoato vix opere succumbat: satius est, ut vel paulò remissius incipiat, ac deinde viribus auctis, alacrius se gerat: vel moderatum cursum ineat, eodemque deinde tenore prosequatur.

Et verò, ne quid dissimulem, arduam, & difficultem provinciam Euphyandro comissam esse, ulterò fateor, in qua multū, diuque desudet, necesse est;

est; illâ enim viâ, quâ itur ad astra, longissima est, suas salebras, & spinas habet, aliâque id genus, quæ auimum deterreant, nisi is constans in suscep-
to opere perseveret: rerum discendarum, scienda-
rumque valitas, superanda in eruenda veritate,
præseitum si res abstrusa sit, difficultas, compla-
nandi scopuli; paralogismi vitandi, experimenta
conjuganda, & concilianda, aliâque hujusmodi
multam constantiam, & patientiam desiderant.
Divinæ potentiae est, res omnes, temporis momen-
to, creare; humanæ verò imbecillitatis, longo la-
bore, & studio opera sua in lucem edere: ædes il-
læ magnificæ, quas potentissimi Reges excitant,
vix unô sæculô extrui, ac perfici possunt: ille
quinquaginta annos in quadrando Geometricè cir-
culo posuit, licet optatum finem minimè adeptus
sit; hic quadraginta in tabulis astronomicis compo-
nendis, & castigandis, quamvis adhuc ultrà casti-
gari possint: alias Geometriæ, & Algebrae sedu-
lam operam toto vitæ tempore navavit, licet in-
numera ferè problemata illius spem, & diligentiam
sefellerint: novi aliquem, qui decennium in cau-
sa refractionum investiganda consumpsit, quo verò
fructu, eventus probavit: Cardanus ultò fassus
est, centum dies unius horoscopi themati compo-
nendo à se insimptos fuisse, licet res secus deinde
acciderit, quām bonus ille prædixisset.

Si pauca hæc, quæ, si cum omnium scientia-
rum universitate comparentur, pro nihilo compu-
tari debent, tantam constantiam, & patientiam
præ se ferunt, multò sanè majorem præ se ferat,
necessæ est, qui omnes humanas disciplinas aggre-
ditur, ut tandem eas fœliciter assequatur, in fami-
iliaribus colloquiis; hoc unum sæpissimæ dicere so-
leo, quantumvis ingenij, & memorie insit, sine
labore, & studio, eoque diurno, nullum ab eo
in literis fructum sperari posse; mediocre ingenium

improbo labore , multa sanè , non tamen omnia obtinebit , cùm tamen vir excellenti , ac eximio ingenio pollens eodem labore omnia superet : unde si labor improbus omnia vincit , eximum ingenium postulat , & verò , si homo ad laborem natus est ; non video , quis hic labor præferri possit , qui tot , ac tantos fructus post se relinquit ; pretiosam scilicet animi supellectilem , & omni pretio maiores omnium scientiarum thesauros : si vita hominis militia est , quæ major victoria obtineri , aut sperari potest ? quæ magis opima spolia ? quis gloriosior triumphus .

Cæterū , multa sunt , quæ laborem illum demulcent , sudorem abstergent , diuturnitatem , & tempus fallunt ; imò hoc studii , & laboris genus in hoc maximè ab aliis discrepat , quòd initio forte magis urgeat , & premat , at verò paulò post , non laboris ærumnas , sed grati , & jucundi exercitiū delicias habeat , nam continuò illo novorum lumen appulsu , hominis , animus mirificè recreatur : novi aliquos , qui forte , vel morbo correpti , vel alia re quapiam impediti à literarum studiis avocarentur , ægrè illud , imò ægerrimè ferebant , nec ea , quæ studiis operam non daret , tolerahilis vita illis esse videbatur ? suum est vincentibus manna ; sua sedulo Archimedi syren ; sua constantibus palma , sua perseverantibus corona : illud cerrè omni expeditionum generi commune est , ut constantiam , & perseverantiam in opere suscepto desideret ; nempe , ut omnia ferè motu fiunt , & perficiuntur , qui temporis fluxu , & successione fit : ità illam animi virtutem exposcere videntur , quæ temporis diuturnitatem patienter ferre possit ; eámque , ut dixi , in susceptis laboribus constantiam , cuius duntaxat accessione & opera , res omnes , ac præsertim eximiæ ad extremum optatūmque finem perducuntur .

Quòd autem literarum studia motum aliquem adhuc

adhibeant meō judiciō , extra controverſiam est ; nempe cum humani ratiocinij usu , & opera rem literiam tractemus , humanum certè ratiocinium inumeros motus elicit : hoc est illarum cerebri fibrarum , quibus rerum ſimulacra inſunt ; hinc rectē , barbarē licet , diſcurſus appellatur ; hinc meditationis , & ſtudiorum caput incaleſcit , vultus accen- ditur , tenduntur membranæ , oculi micant , ſuper- cilia contrahuntur , frons ſæpè rugatur ; vides quoꝝ mótuſ ; ſed hæc in Physica noſtra hypothesi per- ſpicua ſunt . Itaque Euphyandro meo conſtantiam , & patientiam enixè commendo , quibus fi careat , nihil amplum , nihil magnum , nihil magnificum ab illo expecto , & nonnullis haud abſimilem eſſe dicam , qui ſingulis ferè horis conſilia mutant , mu- ta incipiunt , nihil perficiunt ; ſuſcipiunt iter , ſed deficiunt in via ; incipiunt ædificare , conſummare verò poſſunt quidem , ſed nolunt ; ſolā incoſtan- tiā conſtantē , mutabilitate immutabiles , levitate graves , ad instar avicularum , de ſylva in ſylvam , de arbuſculo in arbuſculum , de ramo in ramum vo- litant , & neſquani pedem figunt ; mercurii pluri- mūm habent , plumbi parum , ancipitis , & inquieti animi , novitatis , & mutationis amantes , laboris , & moræ impatiētes ; uno verbō , Euphyandrum hiſ ſimilem eſſe nolim , ut ſcilicet talis ſit , qualemente volo , & raræ , quæ à natura inditæ ſunt , do- tes poſtulant .

C A P U T V.

De amore veritatis,

Tria ſunt , quæ laborem longioris operæ ad lite- rarum ſtudia ab Euphyandro adhibendæ , mi- rificè leniunt , ac diuturnæ meditationis , lectionis , ſcriptionisque tedium magnoperè demulcent ; ſci- licet veritatis amor , methodus , & facilitas agendi ; de primo agam hoc capite , de aliis verò duobus capi-

capitibus proximè sequentibus ; veritatis amor accedit animos , stimulos addit , & in hoc scientiarum stadio cursum accelerat ; res amata , magnifica vi pollet , qua certè non arcanis , sed apertis nodis ac vinculis , ad se amantem trahit ; hinc nulla difficultas amantem repellit , nulla terrent pericula , nulli scopuli arcent , nulli retardant obices , nihil amanti difficile est : itaque modò Euphyander ardenti veritatis amore flagret , habenæ potius addendæ , quâm calcaria admovenda , nec ipsi timendum , vel à tædio , vel ab otio , vel à nimia remissione retinendus , non urgendus est . Porrò si bonum est , quod omnia appetunt , non video , quid vehementius appeti possit , quâm veritas , quæ in naturalibus bonis Principem locum obtinet ; hæc enim mentis humanæ maximum bonum est , cùm eam veritas luce sua perfundat , suo succo & late nutriat .

Si verò bonum est , quod alteri congruit , quid intellectui magis congruat , & aptius quadret , fingere animo non possum ; quid enim animus expectit , nisi scire ; at scientia veri tantum est , cùm error scientiæ adscribi non possit ? si autem quod pulchrum est amatur , quid pulchrius veritate , vel dici , vel excogitari potest ; illa enim lux objectiva est , ut sic loquar , (ubi enim latinis vocibus caremus , barbaris uti possumus) lux inquam objectiva , quæ mentis oculum pascit , rerumque formas , & proprietates , & quidquid medullitus inest aperit ; veritas quippe conformitas quædam est mentis cum objecto , vel hujus cum illa , sine qua , cuncta deformia esse videntur ; si enim veritas absit , error inest ; error verò animum deformat , deformèisque larvam rebus inducit . Denique si bonum est , quod hominem beat , certè cùm veritas sit humanæ mentis beatitas , non video , cur optima dici , & impensè amari non debeat ; felix , qui potuit rerum cognoscere

cognoscere causas, id est, nudam veritatem completi cuius quisquis amore tenetur, nullis sumptibus, nullis parcit laboribus; ut eam consequi possit; & verò illud rei pretium est, cuius gratia in hac scientiarum palæstra strenuè & alacriter Euphyander se gerat; si enim præ amoris ardore, Jacob pro Rachele obtainenda, deceim & quatuor laboriosi simulatus annos sponte collocavit, & pro nihil ferè computavit, quid à veritatis amore sperandum est, cuius splendor speciem illam vultus humani longissime superat; hæc enim post aliquot annos deficit, & rugas agit; flos ille citò arescit, & lux extinguitur; cum tamen veritas tempus & annos fallat; ac sibi vendicet æternitatem.

Itaque, ut aliquid quod amari dignum sit, ames, ama veritatem, quam si aliquando consequaris, diligenter serva; si nondum teneas, sollicitè investiga; cuius si amore teneris, illius causa nihil non facies; si verò hic amor absit, reliqua frustra adhibes, & frustrà in hoc opere desudas: hinc communem satis errorem, & scholarum infortunium deplorabis, in quibus plus opinioni, quam scientiæ vacatur, errorique non veritati consulitur: immo sunt, qui suis opinionibus adeò tenaciter adhærent, ut ab iis nunquam divelli possint: & hæc est, ne quid dissimulem, tetricima rei literariæ pestis, ex gemino fonte scaturiens.

Primus est immoderatus sui, suorumque fœtuum amor, quo qui reverè duci, & abripi se sinnunt, opiniones à se infeliciter excoxitatas, quamvis alioquin minus probabiles sint, mordicūs sustinent, atque propugnant, eo duntaxat nomine, quod quæ sint; hinc satuus parentum amor liborum vitia, virtutum loco habere solet; hinc Ursæ deformes fœtus osculatur, & lambit; hinc aliqui draconibus, & serpentibus divinos honores deferrunt; & quod pejus esse videtur, suis erroribus & vitiis

vitiis litant; & verò si omnis amor cæcūs est, hoc profectò magis cæcus nullus est, quo vel ipsam deformitatem quis amat.

Fons alter, ex quo virus illud manavit, immoderatum studium est, quo quis alicui sectæ sese addixit, in qua, factione potius, quam ratione agitur, & contentione demonstratio cedere cogitur: de lana caprina, ut ajunt, sæpiissimè disputatur, ea vi scilicet, & vehementia, qua quis de utriusque orbis imperio disputaret: memini doctissimum virum, omnique eruditionis, & doctrinæ genere instructissimum; aliquando lepidè mihi dixisse, cum de his factionibus colloqueremur, hujusmodi homines eò contumaciæ, obstinatiq[ue] animi devenisse, ut potius divinæ fidei articulis renuntiarent, quam iis opinioneibus, quas factionis nomine tuentur, & quæ ut vel ipsi fatentur, probabilitatis fines minimè transcendunt: hoc vitio Euphyandrum meum laborare nolo, quem certè unius veritatis amore teneri velim, non tamen erroris, vel opinionis, quæ in errorem facile degenerat; veritatem amet, prosequatur, excipiat, teneat, errorem nunquam admittat, aut si aliquando admisit, illicò extrudat: quod verò spectat ad opiniones, quamdiu illarum veritas, vel falsitas perspicua non est, utraque enim subesse potest, omuem quæso sustineat assensum, nihil de re judicet, donec probata sit; alioquin manifesto erroris periculo sese exponit; cæterum circa veritatem, si, ut par est, sese exerceat, amplissima erit exercitationis materia; nec opus erit inanis opiniones accersere.

C A P U T VI.

De facilitate agendi.

HOc alterum ærumnæ literariæ lenimen, & solarium est; quisquis enim facile agit, ægrè non agit, modò tamen frustrà, & sine fructu non agat; nem-

nempe facile est, nihil agere, ipsūnque otium non nullis saltem facilis occupatio est. Et verò hoc omni asseveratione dico unam hanc, & potissimum industiam esse, quam in Euphyandro desidero, ut facile Musis vacare, & ad studia incumbere discat; nempe facilitas operationis perfectionem promovet operis, laborēmque levat operantis; contrà verò difficultas actionis, ut multam perfectionem detrahit operi, ita non parvum tedium affert operanti: quisquis benè & facile operatur sine tedio, sed non sine gaudio suam operam collocat; imò voluptas, & delectatio in eo præsertim positæ sunt, quod ex facili, & recta operatione oriuntur.

Itaque ingeniosus adolescens in id præsertim incumbat, necesse est, ut præfatam agendi, hoc est studendi, meditandi, scribendi facilitatem sibi comparet: quod autem illam sibi comparare possit ac debeat, multa persuadent: quod possit, aliorum exempla evincunt: quod debeat, multiplex ratio demonstrat; quis enim nescit, virum ingenio præditum, & cuiuslibet artis peritum, facile, secundum artem suam operari? quæ & quanta sit digitorum habilitas in Cytharœdo: gutturis, in Canore; pedum, ac tibiarum in chorago, totius corporis in gladiatore; quanta in equite dexteritas, in Cursore agilis; subtilitas in textore; quis neget, studio, & actionum frequentia habilitatem progingi, & ex hac oriri facilitatem? quis demum neget, artem esse rei literariæ? vel potius illius studii, quo quis literis rectè, &, ut par est, vacat? si verò ars est, quis habilitatem scilicet acquisitam, de qua hoc loco duotaxat agimus, quis facilitatem esse neget: igitur non est dubium quin adolescens ingenio præstans præfatam illam studiorum facilitatem sibi comparare possit, ut re ipsa multi eam sibi compararunt. Novi aliquos, qui post multas horas in literarum studiis positas, non fracti, non fessi

fessi jacebant, sed perinde habebant se, atque si in summa quiete otiali fuissent; hinc forte, qui literis facile vacant, otiali dicuntur, & facilia literarum studia otia nuncupantur.

Quod vero habilitatem illam, & studiorum artem præfatus adolescens callere debeat, ita evidens est, ut ratio, vel probatio, non nisi frustrè exponi possit; nempe illa studendi, agendique facilitas, non modò utilis, & necessaria est, ad vitanda illa incommoda, & detrimenta, quæ in rem literariam cadere solent, verùm etiam, ad obtinenda illa commoda, & media, quæ ad eandem plurimūm conducunt; illa enim primo loco tædium levat; hoc est, gravissimum diuturnæ operationis pondus, quo certè literarum studiis, nihil magis timendum est; cum animum ab iis avocet; utpote qui pondus illud excutere, & ab illo tædio sese liberare native quodam instinctu, pro viribus conatur: porrò illa facilitas mirificam animo hilaritatem conciliat, quo totus imbutus, atque perfusus, non modò tædio non afficitur, sed cum suaviissimo voluptatis sensu literis, & musis vacat. Adde quod, illa hilaritas animum explicat, ut ampliore sinu scientiarum thesauros excipiat, & vim illam spirituum excitat, quorum opera, & ministerio, res literaria triumphat.

Secundò vero loco prædicta facilitas studiorum difficultatem expungit, quæ aliquando constantiis terrorem incutit; quam multi enim sunt, qui præsenti difficultate territi, pedem retrahunt, & suscepitæ Provinciæ renunciant, quam multi labore, & continuo studio fracti, oneri succumbunt; à studiis recedunt, musis & literis valedicunt: terrores illos, agendi facilitas abigit, scopulos complanat, difficultates subigit, animumque ita disponit, ut strenue, & alacriter se gerat, eosque in literis progressus faciat, qui vel omnem superant expectationem.

Quid

Quid porrò sit illa facilitas , non difficile dictu
est , imò dicere superfluum esse videtur , cùm res
per se ipsa pateat ; ille enim facile studet , qui ea ,
quæ legit , statim intelligit , res bene definit , distin-
guit , dividit , componit , comparat , discernit , in
omni situ collocat , & considerat ; qui facile medi-
tatur causas ex effectis , effectus per causas cognos-
cit , facilem ratiocinii modum : ac viam tenet , citia
capitis contentionem , anxietatem animi , tedium ,
& nauseam cordis ; nunquam non paratus , &
promptus ad studia , eodem semper auii situ ,
vultu alacritate ; in his prædicta facilitas posita est :
quomodo verò illa acquiri , & quâ viâ ad eam per-
venire possit , ex multis , duas dumtaxat indico ,
usum , & methodum ; usus multiplex est , persona-
rum scilicet , rerum , & studiorum ; à peritis per-
sonis multa dicere possumus , quæ literarum studia
plurimum facilitent : præsertimque ab iis homini-
bus , qui non tantum scholasticas tricas tenent ,
sed ad intima scientiarum adyta , singulari opera , &
studio penetrarunt : illorum certè hominum usu ,
& consuetudine , non modicam in iisdem studiis
facilitatem tibi comparabis : rerum usus etiam ne-
cessarius est , ut scias , quo quamque modo tractare
debeas ; nec enim res omnes uno , eodemque modo
sciri possunt , vel debent . Rerum series præsertim
cognoscenda est , ne forte à postremis , vel mediis ,
non verò ab iis , quæ primò loco sunt , incipias ;
nempe idem notionum ordo esse debet , qui re-
rum , nè tumulosè , & sine ordine rerum simula-
cra imprimentur .

Denique studiorum usu disces , quomodo facile
studere debeat ; sic actuū usu & frequentia , ha-
bilitas comparatur , sic fabricando fabri sumus , &
eximii opifices , operando ; porrò in ipso studiorum
usu , dabis operam , ut probè discernas varias ha-
bitudines , & affectiones , quas studia post se relin-
quunt ,

quunt, v. g. tedium, capitis contentionem, lapsum virium, nimiam animi tensionem, vel alacritatem, hilarem animum, integras vires, lætitiam, & voluptatem; ut scilicet eum deinde studiorum modum adhibeas, ex quo prædicta facilitas consequatur; quod verò spectat ad methodum, illa haud dubiè studia multùm facilitat: sed quia res est, quæ paulò accuratiùs tractari postularat, de ea singulari capite seorsim ago.

C A P U T VII.

De Methodo.

DE Methodo, parte prima nostræ Logicæ paulò fusiùs à me actum est; hic singularia capita in summam contraho, quantum præsentis instituti ratio postulare videtur, & ut rem hanc summatim, & unō fere verbō exponam, illa mihi dumtaxat methodus placet, eāmque dumtaxat probo, quā ex jactis principiis ceteris & evidenteribus, certæ ac evidentes conclusiones facili ratiocinio deducuntur: Quis enim vel in dubium revocet, quin hæc methodus omnium optima sit; illam autem Geometricam, vel Mathematicam vocare soleo, quod eam scilicet, & nullam aliam Geometræ adhibent: quo evenatu, nemò profectò est, qui nesciat: illi enim, opinor, res propositas sciunt, atque demonstrant; quod licet inter scholasticos non nemo haud ita pridem negarit, ejus sanè ignorantia condonandum fuit, non tamen imprudentia, cùm de iis judicium temerè ferret, quæ ipse nesciret.

Ceterū negari non potest, quin methodus Geometrica omnium optima sit, & sensus ac mentis expers jure censeret si hac de re disputationem instituerem, vel quæstionem moverem; illa autem ut dixi ex principiis certis & evidenteribus, certas & evidentes complexiones deducit: dico ex assertis & evidenteribus, non verò ex probabilibus, quod

quod tamen vulgo fit, non sine maximo rei literariæ detimento, nec non scholarum infortunio quid enim amabò, ex principiis probabilibus, nisi probabilia deduces? cum ipsa conclusio præmissas dignitate non superet; imò debiliorem, ut ajunt, partem sequatur; ut autem probabilia duntaxat deducis, ità & consequenter plurima falsa, cùm vix fieri possit, quia multa inter probabilia, multa quoque sint falsa; si autem falsa deducis, præstaret haud dubiè, nihil scire, quam falsa scire. cùm nec ipsa falsa sciri queant: hinc plurimus in mente error; quis autem nescit, satius esse nudum animum esse, quam erroribus implicitum

Præterea cùm illa quæ supponis, principia, tantummodo probabilia sint, non dubitas quin falsa esse queant; demus falsa esse, licet illa falsitas manifesta non sit; quid quæ fo ex falsis nisi falsa concludes; sed, inquiunt aliqui, res ista secus esse non potest, nec in rebus philosophicis Geometrica methodus locum habet: hæc à viro sapiente dici, mihi valde mirum accidit, quasi verò in iis quoque certa jaci principia non possint, licet varij sint certitudinis gradus: de quibus paulò post agam: an fortè res definiri non possunt? an desunt prima illa Principia metaphysica? an experimenta physica, eorumque conjugationes? an hypotheses Physicæ ex certis experimentis deductæ: disputabis fortè de definitionibus; hoc unum est, nè quid dissimilem, quod mirari satis non possum; an fortè aliquid adstruo, dum rem definio? an contendeo rem illam in rerum natura existere? quid aliud intendo, nisi expонere, quid tali nomine significetur, vel à me intelligatur? quo reverè facto, oppignerò fidem meam, nunquam illud in alia significatione à me usurpandum esse; calculum esse puta, qui veri nummi locò ponitur: an non mihi licet calculis ad libitum uti? sed inquieres, etiam Theologi de definitionibus plus-

plurimum disputant, v.g. de definitione Sacramenti, & in hoc non laudo: Ratio est, quia disputare non possunt de definitione, nisi usurpent nomen definiti, sed usurpare nomen non debes, nisi scias, quid nominis, hoc est quid eo nomine intelligas, ut perspicuum est: equidem præmissa definitione, v.g. Sacramenti, vel in ea convenient omnia Sacra menta, antiquæ scilicet & novæ Legis, vel non convenient; si primum, dices definitum à te esse Sacramentum in genere, ut vocant, quod scilicet, tum antiqua, tum nova complectitur; si verò præmissa definitio Sacramentis dumtaxat novæ legis competit; hoc tu ipse monebis, ubi Sacramentum definis: si autem ex præmissa definitione sequitur plura, vel pauciora Sacra menta esse, quām ab Ecclesia ponantur, jam hoc contra te inferam: quod si concedas, vel definitio mutanda est. ex qua hoc sequitur, vel Placitis Ecclesiæ renuntiandum, quod impium est: igitur directè non peto tuam definitionem, sed absurdas conclusiones, quas ex illa deducis: sed quid in his hæres, cum certum sit, Geometricam methodum, omnium optimam esse, eamque in omnibus disciplinis tradendis adhiberi posse.

Porrò quod pertinet ad alia methodi capita, de iis fusè actum est, quantum res postulabat in I. p. nostræ Logicæ, ibi autem habes singularia quædam præcepta, eaque familiaria, & facilia, quibus tutam scientiarum methodum complexus sum: Vereor autem, nè nimia simplicitas & facilitas non nihil contemptus ingeneret: illa enim est multorum indoles, ut ea dumtaxat in pretio habeant, quæ difficultia sunt & ardua, nec non suprà hominis caput: ego verò à natura ità comparatus sum, ut in rebus scilicet humanis, ea pluris faciam, quæ simplicia & facilia sunt: abiitrusq; illæ difficultates, & tenebras errorem ut plurimū tegunt: Veritas

in luce degit , vel potius ipsa lux est , quam ubi oculis admoveas , illicò eam vident , quidquid sit , in nostra methodo singularia quædam , eaque facilia & simplicia præcepta invenies ; quæ si ad proxim reducas inutilia non esse , tuo periculo probabis : ibi habes methodum docendi , discendi , legendi , meditandi , concertandi , differendi , &c. item methodum definitionis , divisionis , ratiocinii , complexionis , abstractionis : ibidem disces à prioribus , simplicioribus , facilitoribus , universalibus ad alia procedendum esse : Item quando Analysis , quando Synthesis , quando utraque adhibenda sit. Item quis sit finis cuiuslibet disciplinæ , quis scopus , quæ via , quæ clavis , quæ principia , quæ impedimenta , & auxilia , tu vide sis , hic enim describere non vacat ; iis utere , si è re tua sunt : unum interim affirmo , si methodus absit , nihil sperari posse , quod ad rei literariæ amplificationem conducat ; sed cuncta penitus confusa , indigesta , vel tumultuosè congesta manere ; ferri in incertum ; Andabatarum more pugnari ; vocibus , & tumultibus misceri , non firmari rationibus ; uno verbo nihil , faltem , ut par est , sciri .

Utrum verò singulari methodo singularibus disciplinis opus sit , libro sequenti dicemus , in quo de iis agemus ; cæterum nomine methodi , nè , quæfo , intellige , vel Julianam artem , sive majorem , sive minorem , sive longam , sive brevem , vel Cabalam , nefcio , quam , vel figurarum seriem , ad fingendam firmandamque memoriam , vel superfluos characteres , qui Necromantiaæ potius , quam sapientiaæ famulantur ; sed brevem , & facilem viam , quam quisquis inibit , modò iis animi dotibus polleat , quas literarum studia postulant , maximos haud dubiè in iis progessus , eum facturum esse , polliceor .

C A P U T VIII.

De statu, & conditione personæ.

Sunt qui literatos homines, ut viles animas, & Republicæ inutiles traducunt: utpote qui, nec rei bellicæ, nec politicæ, nec œconomicæ idonei sint; Martem, ajunt, nunquam Musis vacâsse, nec literis Jovem; Apollinem imberbem esse, ac lucidis pugnare spiculis, non ferreis; Musas fœminas suisse; literis denique, & studiis animos hominum emolliri, & vires frangi, eruditosque homines, ut plurimum timidæ indolis esse, atque adeò armis ineptos; si quispiam ex Turcarum, vel Scytharum fæce hæc diceret, facile condonarem, sed hæc à viro ingenuo, humano, politico spargi, & dictatæ, quis amabò est, qui ferat? Jovem adulterum, trucem, ac ferum Martem prædicat, imberbem Apollinem parvi pendit, & Musas, ut fœminei sexus ludibria pro nihilo habet; sed, mi homo, dexter Apollo multum ignem cum luce gerit: Minerva sapientiam cum bellica fortitudine conjungit; Musis fœmineum sexum. Poëtæ affingunt, ut Musicæ, atque poëseos dulcedinem, vel hoc symbo-lo exprimant.

In Turcarum Republica, hæc tua placita bene sonarent, apud quos scilicet, lege cautum est, ne quis literarum studiis operam navet; at verò apud Gallos, vel Italos, aliásque nationes ingenuas, nunquam persuadebis, è Republica esse, literatos homines inutiles videri; an non fortè nobilior, & major cleri pars in id præsertim, ac potissimum incumbit, ut humanas, divinasque disciplinas sibi comparet? quasi verò Eminentissimi Cardinales, qui omni eruditionis genere probè instructi sunt, cæteris, ut dignitatis gradu, ità meritis, & virtute non emineant: imò summos illos Pontifices, qui literas præ cæteris coluerunt, singulari honore prosequi-

sequimur, ut Leones & Gregorios: de Illustrissimis Episcopis, nihil est, quod dicam, quibus ex officio incumbit, Christianum gregem salutaribus doctrinis pascere; hinc Augustinos, Ambrosios, Gregorios, Basilius, Chrysostomos æternis laudibus extollimus.

Quod vero spectat ad illos, qui religiosæ vitæ institutum amplexi sunt, quis amabò eos ab optimarum disciplinarum cultura prohibeat, vel arcet? cum plerique sanè hujus instituti homines de literis sint bene meriti; immò felix illa tranquillioris vita ratio, quā vel fruuntur, vel frui possunt, nisi per illos stet, ità prorsus accommodata est ad literarum studia capessenda, ut vix aliam ad eum finem magis idoneam esse crediderim: idem serè dicendum est de alio Cleri Ordine, qui Canonicos, Parochos, aliósque inferioris Ordinis Sacerdotes complectitur; nisi enim iī literis, & studiis vacent, forte periculum est, ne ad alia, eaque minùs honesta diverticula animum applicent: malim ego in hoc Ordine divini verbi præcones, quam venatores; Theologos, quam œconomos; oratores, quam aratores; Geometras, quam agricultores; Philosophos, quam Mercatores; uno verbo Ecclesiastici viri conditio, sive is regularis, sive, ut ajunt, sacerdotalis sit, sive in dignitate constitutus, sive omnis expers prælaturæ, ea profecto est, quæ ad literarum studia tum magis apta, tum ab ipsa rei natura magis comparata esse videtur.

Quid porro de iis dicam, qui pro tribunalibus jura dicunt; quis eos ignorantiae Patronos esse credit, qui tranquillitati, & securitati publicæ patrocinantur? ut de omnibus causis rectè judicent, an forte naturam illarum, atque indolem ignorare possunt? recta rerum judicia veras earundem notiones postulant; adde, quod, si exemplis agendum est, innumeros serè ex iis recensere possem, qui rem literariam mirabiliter pro-

moverunt, Tiraquellos, Brissonos, Thuanos, Alciatos, Fabros; sed ut omnes recenserem, longiore profecto indice opus esset.

Major fortè dubitandi ratio est, utrum literarum studia viris Principibus convenient; sunt qui minus decere potent; sed toto cœlo errant; quin potius minus decet, Principem virum à plebejo doceri; mutæ ad instar statuæ esse, quæ omnium preces, & vota excipit, & nulla responsione supplicantes dignatur: Princeps, qui ut dignitate, & conditionis gradu, ita & meritis, & virtute cæteris præest, duplice nomine Principem agit: primum naturæ, alterum arti, & marti proprio debet. An fortè Salomon regnare nescivit, quia doctissimus hominum fuit? Alexander Macedo maximum Principem non egit, quia Aristotele magistro dignus discipulus erat? Julius Cæsar bellica virtute cæteris Imperatoribus non præststit, quia omni disciplinarum genere instructissimus? Carolus magnus inter Christianos Principes primum locum non tenuit, quia sui temporis doctissimus censebatur? Franciscus primus maximi faciens non est, quia omnium ferè eruditiorum sui saeculi singularis Mæcenas habebatur? Certè quisquis hanc literarum, & literatorum laudem Principibus invidet, sacri hujus nominis infensus hostis est: semper è Republica fuit, Principem omnium præstantissimum esse, ut veris laudibus, à sinceris laudatoribus, non fictis, ab adulatoribus cumuletur: uno verbo, in doctis congressibus, mutum esse, rerum omnium ignarum, de omnibus docendum, per interpretem semper agere, alienis consiliis semper acquiescere, hoc profecto regere subditos, non est, sed à subditis regi.

De reliqua nobilitate, unum est, quod dicam, in ea scilicet Martem, cum Minerva appositè conjungi; bellicam laudem nobiles ambiunt, idque rectè, ac jure; sed in bellis totum vitæ tempus non ponunt;

pariz.

paria ferè sunt pacis, bellique intervalla; si bellica
lante dumtaxat valent, quid quæso tempore pacis
acturi sunt? quis autem eos in otio sordere, quis ve-
nari, aucupari, ludere perpetuo patiatur? nihil pro-
fectò est, in quo melius, & utilius suam operam col-
locent, quam in bonarum disciplinarum studiis, in
Philosophia, in Mathematicis, in Historia, in Geogra-
phia, in Politica, in Theologia, ut saltem res divinæ
fidei probè intelligent: nec periculum est, ne inde,
vel timidi, vel molliores evadant, ut communi, ac
vulgari errore circumfertur; nam ut singularum
virtutum fines, & Indolem Philosophus sapienter co-
gnoscit, ita & prudenter singulis virtutibus adhibet
media: hinc cum optimè discernat, quid temerita-
tem inter, & fortitudinem discriminis intersit, ea
profectò temerè non prosequitur, quæ nonnulli per
errorem fortitudini adscribunt, cum tamen temeri-
tati tribuenda sint.

Itaque, ut vides, Euphyander meus varium vitæ
statum, & conditionem tenere potest; cum etiam
inter Principes viros, ei locus non desit, inter agri-
colas, mercatores, artifices, gregarios milites, vix lo-
cum invenit: quod uxorem ducere possit, nemo am-
bigit; quod cælibem vitam agere, dubitat nemo;
quamquam, cæteris paribus, ab uxore; atque à do-
mesticis curis liberum esse, melius est; utrum verò
religiosi instituti, vel ab omni voto solutus; dubium
est, & vix definire queo; utrumque excedit, & ex-
ceditur; si primum, multis curis liber est, quibus
alioquin subjaceret: si alterum, sui juris est, & sui
temporis arbiter, quo tamen alioquin careret; uter-
que status ad capessenda literarum studia, suis com-
modis gaudet, & premitur iucommodis; hinc plus
curarum, & libertatis; inde verò minus; quidquid
sit, quisquis religiosæ vitæ institutum amplecti vult,
alium finem sibi proponat, necesse est, quam litera-
rum studia; nec illud amplecti debet, ut melius stu-
deat,

deat, sed ut melius vivat. An verò inter fœminas Euphyander locum invenire possit, erunt fortè qui dubitent: ego verò non dubito, qui mediocrem dumtaxat in literis progressum fœminis permitto, quas sanè sexūs infirmitas altius assurgere nunquam habet: tenuis permisit: si fortè paucas Heroinas excipias, quarum singulas vix singula sœcula ferunt.

C A P U T IX.

De sociis & amicis.

Homo societatis, & consuetudinis non modo capax & patiens, verùm etiam amans est; & licet Euphyander is sit, qui suo succo vivat, hoc tamen non facit, quin suum cum aliis participet, & alienum suo admixtum non parum gultet. Et verò cùm res literaria toties discuti, examinari, ac ponderari postuleat, multorum manibus terenda est; vulgare dictum est, plus videre oculos, quam oculum; & nonnulla uni scilicet incauto, excidere, quæ plures attentos subterfugere non possunt: Itaque aliquos ejusdem instituti homines Euphyander habeat, oportet, si non ingenio, doctrināque pares, saltem paulò inferiores; nec enim ii, qui vix medicitatem attingunt, ad rem illius faciunt; igitur delectus habendus est, & is paucorum; turba enim tumultum conciliat, & vix aliquando fieri potest, ut multi inter se bene conveniant; porrò delectus maturi judicij opus est: quisquis enim, cui datur optio, optimum non elitit, judicio graviter peccat, neq; delectum habet, sed delictum admittit.

Scio duplex genus amicorum esse, primum illorum est, quos vel casus dedit, vel sympathiâ quādam nobis conjunxit, nullo præeunte delectu, quem ratione, non natuâ diligimus; alterum illorum, quos rationis ductu elegimus, in quibus eas virtutes cognoscimus, quas, & existimatione, & amore nostro dignas esse judicamus: in re literaria, hujus secundi gene-

generis amicos desidero, quorum accessione, non naturae & indoli, sed arti & studiis consulimus; in re civili, naturae & indolis ratio potissimum habenda est, in qua scilicet amicorum opera utimur, vel ad honestas, jucundasque animi relaxationes, vel ad cœnsilia, vel ad rem politicam, vel œconomicam: in literatia vero, secus accidit, in qua illorum dumtaxat operam adhibemus, ad studia promovenda, quæ scilicet cum iis conferimus; ad ferendum de rebus nostris judicium; ad vitia castiganda, difficultatum salebras complanandas; errores, si qui forte subsunt, detegendos; uno verbo eos amicos habere debet, qui & in iisdem studiis versentur, & ad eundem finem animum & cogitationem convertant: hinc socios & sodales, non amicos dicerem, nisi prædicta illa studiorum societas arctissima necessitudinis & amicitiae vincula secum afferret.

Dici non potest, quantum illa studiorum communio animos conglutinet, & devinciat; modò absit invidia, licet tantulum emulationis accedat; vix inter homines parem ac similem nexum invenio, quo non caro carni, sed animus animo adglutinatur: hinc mirabilis est voluntatum consensus, mira studiorum consentio, mens una, cor unum; nullib[us] honestiores necessitudinis partes, nullibi arctior & nobilior amicitiae nodus; nec sanè cuiquam mirum esse debet, nam ex limpidissimo fonte, limpidissima unda fluit; neque hæc amicitia ex malis actibus, nec ex immoderatis cupiditatibus, sed ex ipso ingeniorum coitu, vel conflictu, & ex ipsa mentis luce nobilem & illustrem ortum ducit.

Veritas scita, non sterilis Virgo, sed fœcunda est; lux illa reflecti vult, aut repercuti: scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter: Pater æternus; cum solus esse non posset, filium habere debuit, cui omnia, quæ scit, manifestaret, diceretque: vita solitaria eximios quidem partus edit, sed aliqua obſtrice

opus est ; excitat amicus studium ; multa illi in
mentem venient, quorum nunquam ipse meminis-
ses : à te multa discet, tūque ab illo ; hinc uterque
communi doctrina doctior, & communibus opibus
ditior evadit ; quod tuum est, non amittis, & fit al-
terius ; quod illius est, non perdit, & tuum fit : uter-
que acquirit, neuter perdit : uterque ab altero acci-
pit, & neuter pauperior manet : sic lucerna lucer-
nam accendit, quantum habet donat, & eandem to-
tam se in aliam transfundit, & quidquid habebat
prius, intactum servat, hinc maximum unius lucrum,
sine alterius jactura : sic duo Cherubim sese invicem
magis ac magis accendent : sic geminus focus, infi-
nitam propemodum vim lumini colligit : quid plu-
ra, vix credi potest, quantum ex hoc amicorum &
sociorum dele&tū Euphyander utilitatem reportet,
quibus revera si careat, potenti sanè adminiculo ca-
ret. Itaque dabit operam, ut tales inveniat, quales
decet, & juvat, ejusdem indolis, ætatis, & instituti,
si fieri potest : si minus, neque enim hoc necessa-
rium esse puto, communia saltem utriusque studia
sint, communis scopus, & finis in eadem uterque de-
sudet arena ; similem habere procuret, si potest ;
nam similis simili gaudet, & amicitia similes inve-
nit, aut facit ; si tamen non prorsus similem, saltem
minus dissimilem ; cùm omnino dissimilia & aloga
inter se convenire non possint.

Hinc cave, nè illum amicum habeas, qui nullo
amore dignus est, cuius vitiosa indoles, profligata
vita, perditi mores ; quantumvis enim ingenio pol-
leat, periculum tamen est, ut fieri solet, ne studio-
rum communio, & societas, morum etiam & vitio-
rum communionem, & societatem connectat. Ad-
de quod vix sanus intellectus esse potest, dum vo-
luntas insanit : vix integrum cerebrum, dum cor la-
borat ; vix pura natura, cum sordida & impura vita:
si modicum fermentum totam massam corruptit :
quid

quid si maxima , & potissima pars infecta jam & corrupra est : præterea illorum amicitiam negliges , qui vel rei domesticæ difficultatibus premuntur, nam curæ amicorum communes sunt : vel odio multorum configuntur , nec enim è re tua est , in novas inimicitias incurrere , vel tua opera , quasi vile mancipium esse , abuti potius , quām uti vellent , nec enim domino vel hero , sed amico & socio indiges : unō verbō dabis operam , ut amicos habeas , scilicet paucos , qui tibi utiles esse queant , & tu illis : at citra ullam , vel tui , vel illorum jacturam ; qui que amari honori ducant , tuque ab iis diligi honorificum censeas : Porrò si præsentibus frui possis , longè utilius est : quamquam cum absentibus , per literas agere , neque inutile , neque novum erit.

C A P U T X.

De auxiliis accersendis.

IN nostra methodo tum communia , tum singula-
ria capita exposuimus , ex quibus literaria auxilia ingeniosus adolescens accersere poterit , quæ hoc loco repetenda esse non puto ; tu vide sis , & utere , si è re tua sunt : hic quatuor aperio , vel indico , quæ magni momeuti esse , nemo fanè inficias ibit : primum est , ut Euphyander optimum aliquem Mecœnatem , aut plures Mecænates , sibi conciliare procuret , quorum opera & auctoritate , rem literariam non parum promovebit ; quantumvis juris & bonæ causæ habeas , aliqua semper , tum Patroni industria , tum Judicis gratia tibi opus erit : uni eidēmque rei multiplex larva induci , & obduci potest , hominūmque judicia ab affectu potius , quām à ratione proficiscuntur . Itaque literæ ac literati optimatum gratiam desiderant , quorum auctoritate & imitatione fit , ut in pretio habeantur , alioquin rudis plebecula , vel indoctum vulgus res , etiam pretiosissimas pro nihilo habet ; quod-

nam, amabò, à porcis, de margaritis judicium expectares? vel ab agresti homine de adamante? Sic olim rusticenus Elvetius pretiosissimum, vel potius omni pretio majorem adamantem, inter sarcinas & vasa Caroli ultimi Burgundiæ Ducis, post fusum ejus exercitum, invenit, etumque pro quarta numini parte vendidit. Igitur ut literæ, & literati eo loco sint, qui reverà iis debetur, Mecænates sibi concilient, hoc est viros nobilitate, virtute, meritis, rebusque præclarè gestis illustres, quorum auctoritate, optimatum artium studia, meritum hoc est, suum dignitatis gradum obtineant; si enim hæc Provincia vilesceret, maximum inde res literaria caperet detrimentum; contrà verò, si cum iis honoribus conjuncta sit, ad quos merito, & jure à Mecænatibus effertur, nihil intactum, nihil intentatum Euphyander relinquet: ut iis, immò longè majoribus dignissimus evadat; quidquid virium, & lucis inest, quidquid laboris, & industriæ, id totum Mecænatis gloriæ serviet, resque literariæ promovendæ; adde si vis, operum, & lucubrationum editionem, quæ aliquando in lucem prodire nequeunt, nisi Procerum, & Mecænatum auctoritas obstatricetur.

Alterum subsidium à libris petendum est, quorum, ut magnam copiam laudo, ita necessariam esse, non judico, non nihil delectus habendum est; maxima enim librorum pars, si non superflua, parum tamen utilis esse videtur; scribimus indocti, doctique poëmata; & prurigo scribendi scabies quædam est, quæ ut plurimum male fana corpora corripit; & verò quisquis omnes libros evolvere, ac legere aggrederetur, ille certè ad optatum finem nunquam perveniet, nec eum referret fructum, qui exantlatis laboribus par esset. Igitur delectus librorum habendus est, nè plurima falsa, & inutilia Euphyander legere cogatur, qui eos dum taxat in singulis

singulis facultatibus habere curabit, qui de iis accuratiū agunt; quid de singulis censendum sit, non definio, cùm mihi tantum minimè arrogem; Euphyandro meo horum judicium relinquo, nè unum ē recentioribus imitari videar, qui cùm meram rapsodiam scriberet, & recoclam crambem centies apponeret, passimque suos eo, quo erat, animi candore, errores recantaret, omnes ferè hujus temporis auctores sua censura confixit; sed quis te, mi homo, constituit Judicem, à tuo judicio facile appellabunt, quotquot immeritò confixisti, nec enim supremo jure tulisti sententiam. Sed ad rem nostram redeo, ac dico, delectu librorum habitō, non pa- rum inde subsidii fore, multa enim paſſim Euphyander in selectis libris inveniet, quæ ad rem suam appositè, ac fœliciter convertat.

Aliud est subsidii genus, quod Euphyander ab opibus accersere potest; non quidem, ut iis ad voluptates, ad superbiam, ad ostentationem, ad avaritiam utatur, sed ad literarum studia promovenda; ad immodicas rei domesticæ curas abigendas, ad delectum optimorum librorum cuiuslibet facultatis habendum; ad experimenta probanda; quæ omnia, sine multis sumptibus, & magna pecunia vi fieri non possunt: & verò hoc ultimum experimenterum caput, quæ in rebus physicis multum locum habent, non modicas opes postularet, ut scilicet ad praxim recens inventa reducantur, in re Nautica, Bellica, Metallica, Hydraulicæ Pneumatica, Pyrologica, Magnetica, &c. Quamquam Euphyander his sumptibus facile parcer, quos in aliorum gratiam, non sui, qui res illas novit, facere quidem potest, nihil tamen est, quod ipsum ad id operis coget, cum inde nec doctior, nec sapientior evadat: non nihil sane admirationis, & popularis auræ à plebecula captabit, sed hæc tumidum quidem, non eruditum facit; hinc scientia in-

flare dicitur: si autem viri Principes jubeant, & sumptus abunde suppeditent, nihil obstat, quin iis morem gerat, suamque illis operam, & industriam impendat: non negarim tamen, si forte Euphyander ea elucubretur, quae publica luce digna sint, illas opes necessarias esse, quas scriptorum librorum editio desiderat: licet enim Bibliopolæ illos sumptus in nostra Gallia facere soleant, raro tamen accidit, ut typi vetustate detriti sint, pessima charta, innumera menda; quae omnia optimis alioquin libris pessimum nomen aspergunt; ut autem occurrat incommodis, largâ pecuniâ opus est, ut res ad optatum exitum perducatur.

Postremum subsidii, genus in dissertatione, & doctis colloquiis, seu congressibus positum est; quænam verò sit concertandi methodus, prima parte nostræ Logicæ abunde exposuimus; nec enim clamoras illas lites ulla ratione probo, quæ non veritatis, sed contentionis studio suscepτæ, in odio, & factiones desinunt, quas nemo sapiens unquam probabit, itaque, ut hæc dissertationis, vel ut melius dicam, concertationis ratio mihi maximè displicet, ità Doctorum colloquia, doctique congressus summoperè placent, in quibus certè Euphyander plurima discet, eaque dicentis ab ote excipiat, quæ nec in libris editis invenisset, nec unquam alias in mentem venissent: illa interrogandi, respondendique alterna vicissitudo, raros ut plurimū, & exquisitos ingenii partus producit: hinc Plato, & Cicero sub hac colloquiorum, & dialogorum forma, doctrinam suam posteris tradiderunt; quid à Socrate Philosophus non disceret? quid à Crasso, vel Antonio eloquentiæ candidatus? sed ut hæc breviter indicasse satis est, ità illa Euphyandro, si sæpiùs ad praxim reducantur, magno, imo maximo subfido erunt.

C A P U T XI.

De impedimentis arcendis.

Multa sunt haud dubiè impedimenta sciendi, de quibus in citata methodo passim egimus. v. g. bellum, morbus, infortunium, rei domesticae cura, mercatura, lites, hostes, cupiditates, ludus, Doctorum hominum penuria, prima educatione, vitiata indeoles, obtusum ingenium, prava consuetudo, perditio mores, animitorpor, desidia, nimia populorum credulitas pœoccupatus animus, præcipitatio, tricæ scholasticæ, falsæ hypotheses, clamosus factiosæ dissertationis modus, sectarum multitudo, principiorum neglectus, pertinax contradicendi animus, ambitio, rei scholasticæ odium, artis syllogisticæ ignorantia. Adde alia singularia, quæ in singulis disciplinis singillatim; & passim loco citato exposuimus: quare his omissis, quæ consules, si è re tua sunt; quatuor dumtaxat impedimentorum capita perstringo, à quibus Euphyander sibi diligenter cavere debet.

Primum sectarum quarundam factiones complectitur, quæ optima alioquin ingenia ita facinant, vel efferrant, ut ea vilissimorum ad instar mancipiorum, perspicuis erroribus, & anilibus fabulis servire cogantur; literaria, seu potius scholastica factio insolentem tumultum refert; ut enim in populari tumultu, nulla legum, nulla Principum ratio habetur, nec in examen adducitur, quid jure fieri possit, quid injuria, sed cuncta miscentur tumultuario motu; insontes plectuntur, reisque triumphant; ita in factione scholastica, non ratione, sed convitiis agitur; nullus est modestiae, nullus observantiae, ac reverentiae locus, Andabatarum more pugnatur; nam passio, vel perturbatio rationis lumen extinguit; imò menti suum eruit oculum; si disputetur, clamosæ vociferationes argumentorum

locò sunt; si scribatur, modò stylus probra, & convitia chartæ imprimat, optimus liber, Prælo, & luce dignissimus est; quid plura, vir etiam ingeniosus alicui factioni addictus, vix sui compos manet, & sui juris amplius non est, ut potè qui prædictæ factioni, & sectæ, non modò quidquid ingenio vallet, addixit, & conservavit, verùm etiam se totum, suaque omnia mancipavit. Hinc acerrimum contentionis studium; hinc pro nugis, & tricis aliquando, imò pro manifestis erroribus, perinde, atque pro aris, & focis pugnatur; hinc schola tremit, tumultuatur academia, sciaditur in partes scholasticum vulgus. præla sudant, satyræ, pungunt, apologiæ cum fœnore tela repercutiunt, totus orbis scholasticus commovetur: in his tumultibus vincere, gloriosum non est, cùm justis armis non pugnetur; Vinci tamen, probro, ac dedecori vertitur, in populari arena, quam virtus ipsa non tingit: his factionum impedimentiis Euphyander, si sapit, sese minimè ingeret, vel implicabit; unius dumtaxat veritatis amore ducetur, quam etiam in hoste amabit; si qua in re veritas Thomistica est, non propterea stabis à partibus Thomistarum; sed tolle, quod tuum est, & vade; si fortè Scotica, aut Nominalis; non ideo subtilis Scotti, vel acris Ochami castra sequeris; sed rosam ex illo spineto, vel roseto excerce, & abi; illam animi libertatem intactam serva, quam tibi sub hujus initium libri exposui: servire Deo, amicis, & musis, honorificum, imò regium est; sed factionibus, seu tumultibus scholasticis devovere sese, ingenuo adolescente, optimoque ingenio prorsus indignum.

Aliud est impedimenti genus, quod etiam pro viribus vitare, ac fugere debes; id est falsa, & probabilia dumtaxat principia, ex quibus nihil unquam dducere poteris, quod probabilitatem superet, & ad certitudinem accedat; hæc autem teter-

rima rei literariæ pestis est, quæ jam dudum in gymnasiis, & scholis fœdissimè grassatur; sed quia jam suprà fusè hac de re actum est, plura mihi de illa dicenda non sunt, nè jam alibi dicta repetere videar: quanquam res ista inculcari satis non potest; nempe hæc summa rerum & caput est, & nisi hoc impedimentum diligenter fugias, hoc tibi prædico, fore, ut nihil unquam scias; nec enim ex probabilibus, & falsis, sed ex certis, & evidentiis scientia procedit: itaque nihil suppones unquam, quod certum non sit; nec ibi diu subfistes, ubi nihil certum invenies; nec tibi erit satis, de re qualibet problematicè, hoc est, in utramque partem disputare, nisi forte tolerabilis causidici, non verò legitimi Philosophi partes agere velis.

Sed ad aliud impedimentum orationem converto, scilicet ad immoderatas cupiditates, quibus animus implicitus, vix altius assurgere potest; nec aliam ab ea syrenem amare, quæ carni, & veneri placet; si gemmam in cæno illo casu aliquo, percus inveniat, eam certè non magni facit, nec propterea ex cæno illo rostrum amovet; Adolescens Veneris, & voluptatis amantior, virgines Musas, puram veritatem, intactam, illibatamque sapientiam diligere non potest: his retibus, & vinculis irretitus ad studia literarum capessenda liber non est; suo gustui servit, non profectui; nullas literas amat, nisi amatoriæ sint; nullum stylum præter amoris spicula; nullam nisi amandi artem; nullum nisi amorum librum; nullam nisi cupidinis scholam; aureum pomum Veneri, non Minervæ reddit; quid plura, ad literas ineptus est, quamdiu cupiditatibus servit; nam intelligendi facultas à sensibus abripitur: voluntas ab intemperanti appetitu misera raptatur: ratio dictamina surdo canit; sapientia veritatis pulchritudinem cœco ostendit; aliorum exempla arctissimè ligatum non movent;

amicos

amicorum consilia foedo amore fascinatum non tangunt; superiorum imperia indomitum, & effrenatum cohibere non possunt. Dii meliora Euphyandro meo, qui revera, nisi suis cupiditatibus imperet, non verò serviat, sapientia servire non potest, nec ea libertate animi esse, quam bonarum disciplinarum studia postulant.

Ultimum denique impedimentum rixas, odia, & immoderatam invidiam complectitur; truculentum Martem nunquam Musis vacasse, manifestum est: quisquis facile, ac saepius rixatur, tranquillam, & pacificam vitam non agit, quam res literaria desiderat, quae haud dubie armis togam praesert. Adde si vis non contemnenda pericula, aliósque rixarum fructus; cuncta hæc vir literatus cavere debet: præterea quisquis in multorum odia incurrit, perpetuò sollicitus est, curatque, ne quid sinistri accidat: vix aliam meditationum, & cogitationum materiam adhibet; mens imbuta felle, literariæ dulcedinis patiens non est; denique multorum invidia non parum infesta est, hæc ubi livorem suum aliqui aspergit, famam illius inquinat, existimationem minuit; dens ille caninus veneficus est, lethalisque illius viperæ morsus. Euphyander pacificus degat: officiis, & pro suo captu, beneficiis omnes sibi demereatur; neminein unquam lingua, vel stylo pungat; factionibus, contentionibus, litibus nunquam se ingerat; fugiat multorum invidiam, quo ad ejus fieri poterit; immo si res aliquando ita postulet, non modò ab omni ostentatione, & jactantia abstineat, sed illam ingenii lucem aliquantulum temperet, quæ, licet innocenter, invidorum oculos perstringit; dandum aliquid invidiae; si tamen illa ultra insultet, nihil aliud restat, nisi, ut vulgare carmen occinas;

Rumpatur, quisquis rumpitur invidia.

C A P U T XII.

De opinionum delectu.

Lubrica res est, quam in hoc capite tractamus & discutimus; cum enim eum me esse non putem, qui regulas & præcepta cuiquam præscribere valeam; nec mihi tantum arrogem, ut de variis opinionibus, quæ passim & docentur in scholis, & libris in lucem editis publicantur, rectum judicium ferre possim, quis enim me constituit librorum judicem? ut libros auctořimque sententias censurâ configam: difficile profectò mihi visum est definire, quis & qualis opinionum delectus habendus sit; quia tamen neminem invitum, ac repugnantem instituendum suscepi; non est, quod multum res ista mihi negotium facessat, vel plus justo sollicitum teneat, ut qui nostra hæc pro iis dumtaxat scribo, qui sponte, & ultrò etiam non vocati, nec moniti eadem in suos usus convertent: aliunde fortè major difficultas esse videtur; ex eo scilicet, quod omnis delectus supponat aliquid, quod assumendum sit; si enim omnia rejicienda sunt, certè nullus delectus amplius restat; atqui de omni opinionum genere, jam supra Euphyandro indiximus, ut nulli prorsus opinioni, hoc est sententiæ tantummodo probabili assentiatur; igitur omnis opinio rejicienda est, aut saltem nulli opinioni adhærendum; ac proinde nullus opinionum delectus habendus est.

Itaque non tam ex meo, quam ex aliorum sensu quæſtionem hanc discutiendam suscipio: & quidem constanter affero, nulli prorsus opinioni, in re scilicet literaria, assensum præbendum, sed contingenendum, ac sustinendum esse, donec rei veritas melius elucescat; igitur nullus opinionum delectus ab eo habendus est, qui nulli prorsus opinioni adhæret; quia tamen scholarum infortunium obtinuit, ut maxima magistrorum pars in varias opiniones descendat,

scendat, quas ubi probabilibus argumentis confirmavit, suo muneri fecisse satis existimat; aliquot pro delectu opinionum, regulas perstringendas esse putavi; prima est, faciliores difficilioribus, cæteris partibus, præferendas esse; nempe illæ sententiæ, quæ difficultatibus & nodis indissolubilibus implicantur, falsitatis mihi valde suspectæ sunt; contrà verò ibi veritas, ubi claritas; veritas enim multam lucem præfert: in iis tenebris, non nihil erroris latet, & aliquod principium supponitur, quod vel falsum est, vel aliquid ambigui habet. Et verò mira est aliorum indoles, qui nihil eorum estimant, quæ ipsi facile capiunt, apud quos sola difficultas pretium facit, & quibus solæ tenebræ splendorem, & lucem afferre videntur: Ego verò contraria sum indole, facilitas mihi suminoperè placet, nec eam suo pretio carere puto, & facili & plana via ad optatum finem pervenire possum, cur per arduam & asperam ire me cogis? si plenis velis, remisque feliciter navigo, cur in scopulos & cautes nave in meam impingis? si per amœna & strata floribus loca prosperum iter ago, cur in senticera & spineta me trahis? si in media luce ambulo, cur tenebras aspergis? crede mihi facilem viam ini. & in ea fœliciter perge; scopulos & syrtes fuge, & difficiles illas opiniones, quæ tot fulcris & subsidiis indigent, & vix sustinent se, saltem pro suspectis habe.

Altera regula est; ut ii, qui in publicis scholis, humanas aut divinas disciplinas docent, communia & facilia tradant, quorum schola frequens, & commune tantummodo patiens est, ut jam supra indicavi; vix enim inter tot, aliqui eximio sunt ingenio, quod sanè rerum arbitrisarum novarumque difficultas postularet; magister multas horas, imò dies & menses posuit in iis tum inveniendis, tum ordinandis ac disponendis; ergo fieri non potest, ut maxima auditorum pars, qui vix mediocri polleant

inge-

ingenio , res illas per semi horam expositas intelligere, & capere , nedum penetrare possit: publici lectoris, ut vocant , seu magistri partes in eo præser-tim positæ sunt , ut totius scholæ , atque adeò omnium auditorum non paucorum dumtaxat aliquot, utilitati & profectui consulat ; quod reverè nisi faciat , eum suo munere defunctum esse non censeo : hoc vitio publica gymnasia non parum laborant ; multos enim magistros inter invenies , qui vel inde suo nomini & famæ non parum consulere putant , si communi doctrina rejecta , sua commenta , hoc est subtilioris operæ & sublimioris speculationis pars , è pulpito exponant , & paucorum , qui ea capiunt , laudes & plausum , reliquorum omnium utilitati , & profectui anteponant ; hinc ii , qui scholas frequentant , nihil eorum sciunt , quæ scire deberent ; hinc maxima & potissima pars illarum disciplinarum , quæ itatutis temporibus absolvendæ sunt , omittitur , hinc justæ querelæ ; hinc denique intolerabilis error , quo nonnulli eorum , qui publicè docent , ducuntur , qui , vel inde judicio peccant , unde ingenii , ac doctrinæ famam sibi accersere conantur ; itaque communia communi , & numeroso coetui tradenda ; singularia verò , libris in lucem editis , publicanda sunt ; quid enim juvat crambem recoclam apponere ? quid jam edita iterum edere .

Crede mihi , quidquid tuo nomini consignas , atque committis , tuum sit , non alterius : dedecet virum ingenuum , alienis pluinis sese ornare , alienis ovis incubare , furto demum nomen suum munire , ut gloriefius , & illustrius habeatur : sunt qui veras , & optimas sententias impugnandas suscipiunt , ut absurdas in earum locum substituant ; ut aliquid novi ab iis excogitatum esse dicatur , nova mendacia ludunt , novaque absurdæ ; malunt sibi debere , quod turpiter errent , quam aliis , qui præcesserunt , quod recte sentiant ; improbam certe pruriginem , quæ

quæ rei literariæ nova in dies vulnera scalpendo
infligit; perditum novitatis amorem, qui nova mon-
stra quotidiè parturit; hoc certè male cochleati ca-
pitis vitium est, quo nonnulli adeò laborant, ut sua
vitia non modò ament, sed aliis amanda proponant;
hoc vitium iis præsertim familiare est, qui cùm in-
genio valeant, judicio carent; qui cum sui, rerūm
que suarum amantiores sint, quām par sit, etiam
suas fæcēs lambunt, & turpia cerebri effluvia per-
inde quasi flos balsami esset, in pretio habent. Non-
nullorum astutiam indicō, qui cum ab aliquo aucto-
re omnia ferè excerptant, eidem tamen mortale bel-
lum indicunt, hominēmque perpetuò impugnant,
lacerant, & quod non rarò accidit, auditorum suo-
rum ludibrio, & sibilis exponunt; qua fronte, vide-
rint plagiriorum judices.

Sed ne hoc omittam, sunt inter Philosophos, qui
Aristotelem immortali plusquam odio prosequuntur,
hominem vilipendunt, ejus doctrinam, ut falsam, &
absurdam traducunt, mores etiam & ingenium car-
punt, jam mihi venit in mentem sectarius ille Oxo-
niensis, Carpenterium dico, qui certè carpentis fa-
bricandis, quām tradendæ Philosophiæ, magis aptus,
& idoneus esset; homuncio, quis hoc crederet, Ari-
stotelem ad singulare certamen provocas, in libello,
quem liberam Philosophiam inscribis; Pigmæ, non
times Herculis umbram, vel altūm dormientis rhon-
chos; liberam Philosophiam, vocas, liberam erran-
di ansam, vel apertum tuorum errorum campum;
nec tibi satis erat, Peripateticam Philosophiam pro-
bris, & contumeliis prosequi, nisi etiam catholicam
fidem tuis erroribus foedares: huic certè non absi-
miles sunt quidam, Epicuri de grege, qui contra
Aristotelem perpetuò grunniunt, ut vel inde aliquid
laudis aucupentur; suum Epicurum nobis obtru-
dunt, ejusque doctrinam summis laudibus efferunt,
& Peripateticam pro viribus depriment, seu potius de-

depressam esse, in votis habent; qui enim fieri potest, ut eam deprimant, cum ad illam usque assurgere nunquam hactenus potuerint, cui revera pares non sunt: itaque illum delectum minimè probo, quo Epicurus Aristoteli, & Democritica Philosophia Peripateticæ antefertur: imò, quod tamen salvo aliorum judicio dictum vèlim, nunquam è Republica fuit, Epicureos primas tenere; ille atomorum congressus, non parvos tumultus alias excitavit; quod verò ad religionem pertinet, illa Epicuro parum cordi est; & hoc unum addo, nonnullos, Epicureos esse, qui se Christianos, & catholicos esse constanter asserunt, serione, an joco, mihi non liquet; sed contrà multos atheos existere, qui Epicuri degrege cum sint, non alias à Democriticis hypotheses defendunt, quæ veritatem, & germanæ Philosophiæ, an pietati; rei politice, an sacræ magis adversentur, dubitatum est: hoc demum subiecto; nihil à me unquam visum esse, quod ab iis rectè demonstratum sit, eosque hactenus aliequin viros doctissimos, ignorantiae potius, quam scientiæ patrocinium suscepisse.

C A P U T XIII.

De victus ratione.

UT non Assueri epulas, ita nec Diogenis, vel aliquis Eremitæ parsimoniam, & frugalitatem, ad nostri hujus instituti finem obtinendum desidero; lautiissima illa convivia, mensarumque apparatus, vel ad regiam magnificentiam, vel ad intemperantem aliquorum licentiam, & luxum pertinent; mollior illa, & lauтор victus ratio gulæ servit, non ingenio; ventrem, jejunio cerebro saginat; abdomini, non menti, aut animo consultit; uno verbo Sardanapalum quempiam, vel Helingabalum non Christianum Philosophum decet: contrà verò aggressis ille ciborum modus, & rusticana parsimonia ini-

guic

quior est, quām ut illam Euphyandro meo præscribam; austерum illud vitæ institutum plerisque terorem incutit, eosque à studiis deterret, si forte illud eadem literarum studia postularent.

Sermonem hoc loco de iis non instituo, qui votis obstricti, religiosam vitam degunt, cui stricta paupertas comes accedit; quorum aliqui secundūm illud, quod amplexi sunt, vitæ institutum, ab iis cibis abstinent, quibus homines melius nutriuntur, & naturales hominis facultates suo munere facilis defunguntur; nonnulli herbis dumtaxat, & leguminibus ut plurimū vescuntur; nec cibos adhibent ad gulæ irritamenta, sed ad vitam cum asperitate, & carnis maceratione agendam; de his inquam sermonem non institui, utpote, qui alium finem sibi proposuere, quām ut literarum studiis vacarent, licet ea quantum suscepit instituti ratio patitur, cùm aliis religiosæ vitæ provinciis feliciter conjungant; ego verò qui non monachum, sed ingeniosum adolescentem instituendum suscepi, in hujusmodi vitæ angustiis, quamvis piis, & maxima laude dignas, invitum adigendum esse non puto, sed communem vitam ei permittendam, in qua utrumque munus obire potest, Christiani scilicet, & Euphyandri: cùm autem non unum vitæ modum, sed varium, & multipicum tenere queat. Nam etiam, ut supra ostendi, inter Principes locum habet; tria sunt in re cibaria ponderanda, ciborum scilicet quantitas, qualitas, & varietas.

Quod ad primum spectat, eadem omnibus regula præscribi, non potest; cùm pro varia corporis habitudine plus, vel minus cibi desideretur: sunt qui multa vi caloris pollent, qua sit, ut magna vis succi resolvatur, exhaleturque; ac proinde major alimenti copia substituenda sit, nè tandem corpus arescat; si enim plus humidi consumatur, quām à novo alimento accedat, totum animal brevi exsec-

cum

cum manet: idem prorsus de iis dicendum esse arbitror, qui rariore sunt fibrarum plexu; cum per laxiores meatus, & porros, magna vis rarescentis materiae in auras abeat. Præterea pro maiore corporis agitatione, & fibrarum motu, natura hominis plus alimenti requirit; multi enim per motum spiritus a volant; hoc est, subtiliores rarescentis sanguinis partes; nempe agitatione illa, hinc premuntur, inde tenduntur ac dilatantur corporis fibrae: hinc, quod tenue est, pressione exprimitur, & dilatatione, laxatis scilicet porris, erumpit; nam præterquam quod, venæ, & arteriæ turgent, ac proinde sanguis, qui per illas fluit, si qua datur porta, statim effluit, perpetuo cordis motu, quidquid succi venis, & arteriis inest, si patet exitus, extruditur. Itaque multa, & longa corporis agitatione, carnis plexus, ita laxatur, ut densior, sanguinis portio per apertos meatus, effluere quidem non possit, rarioer tamen & tenuior, quam spiritum vocant, nullo negotio effluat: hinc iis, qui multum, diuque laborant, copioso victu opus est.

Quantus autem sit studii literarii labor, iis judicandum relinquo, qui suo periculo aliquando probarunt; longa illa capitum contentio, tot, ac tanti fibrarum cerebri motus, copiosi sanguinis appulsus, tanta spirituum (sic enim vocare liceat) dissipatio, caput præter modum incalescens, exhaustæ reliqui corporis vires, non modicum, saltem in nonnullis pituitæ effluvium; cuncta hæc meo, saltem judicio, restitui, ac reparari non possunt, nisi copiosi alimenti subsidium accedat: hinc quod vulgari errore circumfertur, eos scilicet, qui literis operam navant, cibi parciores esse, quo loco habendam sit, eorum judicio relinquo, qui rem hanc propriis experimentis edocti sunt: difficile, crede mihi, non est, aliquem cibi parciorum esse, qui vitam otiosam degit, qui que per otium vix innatae pituitæ exuperant-

perantiam consumit; at diversa illorum ratio est, qui totum otium, & tempus literarum studiis impendunt: nec est, quod aliquis rerum istarum imperitus opponat, ad literarum studia, non corporis, sed mentis, & ingenii nisum, & operam desiderari; quasi verò hominis animus quidquam possit, nisi sedulæ, & operosæ corporis facultates accedant: sed inquies, temperantia etiam ingenioso adolescenti probè congruit; præsertim cum tanta ciborum copia, non modò ventriculum, sed ipsum quoque animum pene obruat; temperantiam in adolescente, qui literis operam navat, summoperè laudo; sed hæc exuperantiam castigat, quām non probo; eam cibi copiam præscribo, quæ necessaria est, ad eas corporis, animique vires, quas literarum studia desiderant, ut scilicet melius succedant; sed ut majorem veto, ità nec permitto minorem; necessaria, non ad otiosam, sed ad operosam vitam alimenta volo, qui tamen instanter superflua prohibeo.

Porrò cibus nec plus æquo exquisitus, vel opimus sit, nec liberalis aut vilis; licet enim omni cibo corpus hominis nutriatur, negare tamen non ausim, aliquos cibos esse, si non ineptos prorsus, saltem minus aptos ad illam sanguinis tenuitatem, quām literarum studia desiderarent. Ego certè gulae adulari nolim, ea tamen austeritate, ac severitate erga Euphyandrum esse nolo, ut illi omni exquisitō cibō interdicam, qui revera si apponatur, libenter eo vescatur, non ad gulæ irritamentum, quod certè hominem dedecet, sed ad operosæ, & studiose vitae subsidium; si tamen exquisitus abest, communem adhibere nè dubitet: nam communis illa vitae ratio mihi summoperè probatur: ciborum aliqua varietas non displicet; cùm vel inde ingesti ventriculo cibi melius coquantur; superfluum tamen non probo: vixi forte aliquis delectus habendus

dus esset: nec enim omne vini genus ad rem literariam facit; fumosum non permitterem, quia caput laedit; non dulce, cuius tenacior uligo meatus obstruit; non acerbum, vel acidum, quod intestina offendit; sed maturum, & mite, quamvis generosum, quod facile fitim levat, ventriculum fovet, ac benignos spiritus suppeditat. Cæterum sobrietatem Euphyandro valde commendabo: nempe turpe est, hominem ingenuum crapulæ servire; hoc vitii genus nervos hebetat, cerebrumque debilitat; imò totum hominem omnium iudibrio, & sibilis meritò exponit; non tamen est, quod honestas, & moderatas compotationes prohibeam, quæ ut hilariorem, ità & alacriorem hominem efficiunt; imò & amicorum inter se animos conjungunt arctius, & devinciunt; hoc saltus honestæ relaxationis loco sit, quam ut severior virtus non prohibet, ità sapientiæ, ac literarum studia permittunt.

C A P U T XIV.

De somni modo.

Moderatus somnus fatigatum caput recreat, fessum reficit corpusculum, & longo labore fractas vires restituit. Multiplex autem, & varius somni modus est: nam longus est, vel brevis; rarus, vel frequens; continuus, vel interruptus: sunt qui longiore indigere videntur, ii scilicet, qui cum humidiore sint cerebro, multum temporis in subigendo illo humore consumunt, quod per somnum duntaxat fieri solet; alii contrà siccioris cerebri brevi somno contenti multam noctem insomnem ducunt. Nisi tamen somnus moderatus sit, id est, nec plus justo longius excurrat, nec in maiores, quam par sit, temporis angustias adi-
gatur,

gatur, haud dubiè non mediocriter nocere potest: ut enim, si longior, & nimius est, caput gravat, nervos laxat, totum corpus emollit, multiplici distillationi viam, & meatus aperit; ità si brevior, & contractior est, caput afficit, non reficit, & stuporem, seu torporem quemdam in membris relinquit, quem reverà, si longior esset, excuteret: longiores illæ vigiliae adeo corpus, & sanguinem extenuant, ut febrim non raro accendere videantur; contrà verò largior ille somnus non modò dimidiā nobis vitam eripit, verū etiam, dum corpus plus æquo saginat, novum menti pondus imponit: hinc non mediocris capit is gravedo, membrorum torpor, & totius corporis gravitas. Itaque cum in primis Euphyandrum, ita corpore, & animo expeditum esse, necesse sit, ut facile, ac diu gravissimis literarum studiis sedulam operam navet, eum sanè, nec somniculosum, nec vigiliis exhaustum, nec fatigentem esse velim; nolim eum in medios dormire dies, atque adeò pretiosissimam temporis partem, antelucanam scilicet, & matutinam, inutilem illi fluere: neinpe hominis vita tam artis, & angustis terminis concluditur, ut tantam temporis jacturam graviora studia ferre non possint.

Adde quod ars longa est, & vita brevis; hoc est: humanæ, ac Divinæ disciplinæ longiores sunt, quam ut modico temporis intervallo obtineri ab ullo queant. Ut autem superfluo somno indulgere vitium est, quod rei literariæ non parum detrahit; ita necessario parcere, non modò inutile, sed noxiū est: inutile quidem, quia mens inde ad studia inhabilis restat; hinc qui nocte intempesta parum dormiunt, per totum diem, qui noctem excipit, dormitant, vel potius dormituriunt; præsertim verò si ad studia literarum ani-

mum applicent. Nam statim palpebræ decidunt, caput labat somno, & vigiliis grave; rem sanè ridiculam! quam in nonnullis mirari satis non possum: cùm naturæ facere satis nolint, & necessarium somno tempus minimè tribuant, ut plus temporis deinde suppetat, vel ad literarum studia, vel ad res agendas, neutrum reverè obtinent: nec enim corpus justo, ac necessario somno reficiunt, nec res suas agunt, eo saltem modo, quo agendæ essent. Hinc si aliquando cum iis agas, vix sui memores, & compotes, satis inurbanè dormitant, cervice identidem collabante; responsis ambiguis, risum potius, quām stomachum movent; & quod per jocum lepidè dicitur, multiplici capitum nutu, quidquid dicis, approbare videntur. Igitur longè satius esset, necessariam temporis portionem somno tribuere, & tunc in utramque aurem, ut ajunt, dormire, quām interdiu dormitare, aut dormituire. Extingue sitim, ne semper sitibundus; exple famem, ne continuè famelicus esse videaris; necessarium somnum cape, nè diu, noctuque somniculosus dormiturias: imò liberalem potius, quām parcum somnum esse malim; aliquid superflui libenter indulgeo, sed nihil prorsus, quod necessarium sit, desiderari permitto. Quænam autem, & quanta necessarii somni mensura sit, tritum est sermone proverbium:

Septem horas dormisse sat est, Juvenique, senique.
 Nonnulli fortè, qui sunt humidiore corporis habitu, octo saltem horas postulabunt: do ultro; vix tamen plures concederim, cum torporis potius, & desidiae, quām necessitatis esse videantur; quasi verò satis non sit, tertiam vitæ nostræ partem inutilem, in umbra, & imagine mortis traducere: nulla enim imago mortis, quām somnus expressior eit. Si aliquid ultra adjicias, vitam dimidiām perdes.

Quod dum mecum repato, vix lacrymas, & gemitus continere possum; cum mortalem hanc vitam eò miseriæ venisse videam, ut & brevissima per se ipsa sit, & dimidiā ferè, perinde quasi mors esset, etiam inviti ducamus. Quæ sanè ratio, maximi ponderis, atque momenti esse videatur, ut ingeniosus adolescens superfluo, & immoderato somno minimè indulgeat. Necessarium tamen non permitto modò, verùm etiam impero; quamquam non negarim, per mensem aliquoties, paulo liberaliorem, longiorēmque somnum captari posse, ut, si quid operosæ naturæ necessarii subductum est, hujusmodi quasi licentiâ reparetur, ac compensetur. Operosam naturam dixi, utpo- te quæ somno refici, ac recreari summopere exoptat; cum scilicet liberalium disciplinarum studia exhaustis spiritibus caput non mediocriter exerceant, atque fatigent, ac proinde opus sit, ut liberali somno recreetur: non tamen est, quod nonnulli studiorum gratiâ, somni, & quietis pariores sint, quām par sit; nempe modicum, quod inde referunt lucrum, longè majorem deinde jacturam affert; igitur non vulgaris esset impruden- tiæ pro minoris boni accessione, majoris jacturam facere. Utrum verò pomeridianis horis somno indulgendum, modò brior sit, tolerandum est? quamquam omnino abstinere satius est, quod vel ex illo communi scholæ Salernitanæ versiculo ha- bemus:

Curas pelle graves, somnum fuge meridianum.
In hoc tamen, per summam vim æstus, severior non essem, sed liberalior; præsertim apud eas na- tiones, apud quas mos ille, & consuetudo in- valuit, ut à prandio nonnihil somni capiatur: non- nihil dico, quis enim illorum agendi modum pro- baret, qui aliquot horas in lecto nudi dormiunt: cum his hominibus res mihi non est, nec enim illud

illud mollioris vitæ genus Euphyandro permittem, quem virtute volo præstare virili. Utrum denique continuus, vel interruptus somnus esse debet? dubium non est, quin continuus alteri præferendus sit, cùm eo natura hominis magis recreetur; nec eadem somni, & cibi ratio est: licet enim nonnulli semel in die cibum duntaxat suinantis, hoc tamen non facit, quin alii, saniore fortè consilio, manè bene pransi, vesperi deinde cœnent; nec ventriculus tantæ inediæ, saltem ut plurimum patiens est: cùm tamen intempesta nocte, moderato somno corpusculum abundè refici queat. Imò nonnulli aliquando, ubi res postulat, urgēntque temporis angustiæ, insomnes noctes ducunt, ut musis vacent, & somni penuriam cibo deinde compensant; cùm uterque hominem recreare soleat: uno verbo, cùm eadem omnibus regula esse non possit; nempe alii longiore, alii breviore somno indigent: ut vigiles Argos nolo, ità nec torpentes glires; sed eam somni mensuram, euimque modum, qui animum alacriorem ad capessenda studia post se relinquit: quod ubi aliquis suo periculo probavit, eum deinceps, & non alium somni modum adhibeat.

C A P U T X V.

De tempore ad studia magis opportuno.

Quodlibet temporis minutum literarum studiis concessum, atque impensum, bene positum, & collocatum est; & revera sunt, qui quavis hora, facile Musis vacant, nec ullum prorsus temporum discriminem sentiunt, ad studia semper accincti, atque parati; sive jejuni, sive bene pasti; sive per summam vim astus, sive sæviente bruma; noctisque dilique. Novi aliquos, ità à natura

comparatos, vel proprio marte institutos, quibus omnis hora placebat, omne tempus ad capeſſenda literarum ſtudia opportunum erat, eodem ſemper animi vigore, atque tenore, omnium horarum homines; qui eadem alacritate ſtylum ponant, ſi res ita poſtulat; & ſumant, ſi per otium licet: quia tamen omnes eadem indole non ſunt, nec *omnia poſſumus omnes*, multos paſſim invenies, quibus omne tempus ad literarum ſtudia opportunum, vel comodum, non eſt. Sunt qui jejuno duntaxat ventre literis incumbunt; hinc ubi matutinas horas in ſtudiis collocarunt, reliquo die ab iisdem abſtinent; niſi forte, quod pauci facere ſolent, toto die impalati maneant, & in cæna tantummodo cibos ſumant; quod utrum ad rem literariam, & sanitatem conducat, non deerunt ſanè, qui negent: nam literarum ſtudia non modicam tum animi, tum corporis alacritatem, vegetas vires, multamque ſpirituum vim deſiderant; ſed his omnibus tanta eiborum penuria magnopere adverſatur; cum ſcilicet ex nihilo nihil fiat, ut communi proverbio fertur.

Igitur ea parcitas alimenti, quæ otiosam vitam, faltem utcumque, ſuſtentaret, ad operosam nullo modo ſufficit, ut perſpicuum eſt; præſertim ſi homo gravioribus ſtudiis, & disciplinis incumbat, quæ majores vires haud dubie poſtulant: ſi au-tem majorem alimenti copiam uno, eodemque paſtu, ventriculo ingeras, tantam molem ventrulus coquere non poteris; hinc multa cruditas, chilo indigento inest; hinc multa obſtructio. Igitur operæ pretrum non eſt, ut ſis liberiore, & magis expedito cerebro, nativum calorem obrue-rem, & diurnā inediā tempus metiri: cum vix inde profcere poſſis, unde tuæ vires deficiunt. Sordida illa temporis uſura triste revera fœnus re-pendit, afflictæ ſcilicet yaletudinis, nec non cu-jusdam

jusdam cacochymiæ, quæ uberrimam plerisque morbis, materiam suppeditat. Itaque Euphyandro meo auctor esse non possum, ut hujusmodi victus, & vitæ rationem adhibeat: trita via longè tutior est; matutini prandii, & vespertinæ cœnæ usus apud omnes nationes invaluit; in his, quæ ad communem vitam pertinent, singularem esse non patior, ne vel inde parum recti judicii nomen, ac notam reportet; singularis exterioris vitæ modus nondum mihi placere potuit; ut qui, ex regulis Aristotelis, & Christi, non parum suspectus est.

Sed ut ad rem nostram redeamus: sunt, qui sumpto cibo Musis vacare non possunt; quia ventriculi fumus cerebrum petit, atque ita gravat, ut laboris literarii patiens non sit. Ego piam fidem illorum dictis adhibeo; ignoro tamen, qua via fumus ille ad cerebrum pervenire queat; nullum caminum hactenus à ventriculi foco ad cerebri laquear duclum esse comperi; equidem multus sanguis totum cerebrum rigat, cuius subtiliores particulae, quæ facile per venas, & arterias fluunt, seu discurrunt, suo appulso cerebri fibras levissime vellicant, imò, & somnum conciliant: hic tamen excuti facile valet; nisi forte vitiosam consuetudinem homo contraxerit, qua fiat, ut bene pastus, ad studia literarum ineptus fit; quo sane vitio, nisi liberet sese, quod re ipsa præstare potest, illum ego Euphyandri loco habere non possum, cum fieri nequeat, ut paucæ illæ horæ, quæ ante matutinum pastum sufficiunt, ad id operis sufficient, quod literarum studia postulant. Itaque, ut statim sumpto cibo, studiis animum applicet, non jubeo; non permitto tamen, ut tote illo tempore, quod residuum est, ab iisdem abstineat, sed remisso, ac relaxato tantulum animo, æquum est, ut musis yacet; imò novi aliquos, qui

bene pasti, quām jejunī studiis alacriūs operam nāvant: nempe illa vis spirituum, quam recens ali-
mentum suppeditat, cerebrum mirificè recreat; ac
proinde magis aptum, & vegetum præstat ad sua
munera obeunda.

Ut plurimū tamen matutinū tempus ad id
muneris opportuniū est, quod innumeris ferè con-
stat experimentis: tunc liberiore, & magis expe-
dito cerebro sumus; per nocturnā quietem, non
modò refectæ sunt vires, recreatum corpusculum,
purgati humores; verū etiam sedatus phantaf-
matum tumultus, & ordinata simulacrorum series
relituta: sic aqua turbida, ubi diu quievit pristi-
næ limpiditati restituitur, subsidit limus, admixta
terra, vel arenula fundum petit. Idem prorsus
nocturna quies obtinet: cessat enim cogitationum
tumultus; motuum appetitūs tempestates quie-
scunt; nubes, & fumos somnus abigit, & tan-
dem optata serenitas redit. Igitur matutinū tem-
pus pomeridiano anteferendum esse videtur; suum
tamen vespertino, scilicet ante cœnam, pretium
non deest: tunc enim, cocto alimento, natura
vegetior est, frequentique benignioris sanguinis ap-
pulsi, cerebrum mirabiliter recreatur, suāmque
operam industria mens sponte, ac ultrò impendit,
& præbet: dixi ante cœnam; cùm post illam,
studia in multam noctem protrahi, & excurrere
minùs probem, antequam scilicet dormitum eas:
multi enim probarunt, inde futuræ quieti non pa-
ram detrahi: nempe cum multa cerebri agitatio-
ne, graviora præsertim studia conjuncta sunt; hæc
autem agitatio tam citò pacari non potest, sed eas
in mente procellas excitat, quæ dum nocturnum
sonum impediunt, non parvum capiti, totique
homini afferunt detrimentum.

Porro quæ anni tempestas ad rem literariam
magis conducat, difficile dictu est; singulæ ut suis

com-

commodis juvant, ità suis incommodis nocent. Veris temperies nonnullis summopere placet; sed eā tempestate major est humorum motus, turget corpus, nec modica cerebro gravitas accedit. Autumus nonnullis arridet; sed tunc temporis humore melancholico abundamus, corpus exsecum est: hinc minus dociles nervi, & multiplex obstrutio. Ætas suis caloribus animos stimulat; sed per summum æstum corpora languent, vires deficiunt, natura citra spem, & fructum operata, in sudorem abit. Hyems denique spiritus, humorēsque continet, & dum sese contrahit cerebrum, dispersas cogitationes, & dissipata phantasmata colligere videtur; sed frigus iners multam pigritiam conciliat, contractum frigore cerebrum multam quidem pituitam exprimit, sed nihil amplius capere potest: torpent artus, membra rigent, totum corpus contremiscit. Igitur tempestates omnes, ut sua commoda, ità & incommoda habent: Cœlum quidem serenum aptius est: nempe serenitas naturam ipsam exhilarat; turbidum & pluvium, præsertim flantibus austris, minus commodum: nam majoris mundi vitia in minorem mundum derivantur; varias Cœli affectiones natura probè sentit, præsertim hominis cerebrum, cuius mollities iis excipiendis nata esse videtur.

C A P U T XVI.

De Commodoire loco.

TRITA PARÆMIA EST, COMMUNI HOMINUM USU probata, & ab omnibus nationibus, quæ cultis sunt moribus, recepta: studia literarum, non fori, sed Musæi esse; hinc antiqui Poëtae suas Musas in montis Solitudine collocarunt, siquaque Apollinis oracula in sylvis; hinc vulgare illud:

Carmina secessum scribentis, & otia quarunt.

Nec ullum sanè dubium est , quin secretiora con-clavia ad rem hanc commodissima sint ; imò & ædes illæ opportunæ , quæ à rumore popularis vul-gi remotæ sunt : ut enim rumor , & murmur ci-vilium tumultuum aures ferit ; ità cerebrum con-cutit , animumque studiis addicatum distrahit. Et verò sunt , qui ferre non possunt clamores illos , vel muliercularum , vel puerorum in vico publi-co vociferantium ; ac proinde in iis cubiculis li-teris operam dare nequeunt , ex quibus , in pu-blicum vicum , per fenestras , patet prospectus ; alii contrà , vel in ipso foro , ac in mediis nun-dinis , studiis sacile dant operam : ità enim dum Musis vacant , colligunt se se , ut à rebus exte-rioribus minimè distrahantur. Novi aliquos ita scholari murmuri assuefactos , ut eo quoque tem-pore , quo publica scholarum area solitis clamo-ribus personabat , in gravissimis studiis attentissi-mi versarentur. Sed quisque suos patitur manes , & singulorum genio , & indoli , aliquid indulgen-dum , modò tamen vitium non sit ; nec ea rigo-ris severitas adhibenda est , quæ rei literariæ gra-vissimo potius oneri , quam honori , vel utilitati futura esset.

Cæterū licet communis omnibus regula præscri-benda non sit , in dubium tamen revocari non potest , quin musæum , seu Conclave solitarium è re illorum sit , saltem ut plurimum , qui literis operam navant ; hinc plerique ad eum finem obtinendum solitudines captant , in iis libenter consident , ac ægerrimè ferunt , si aliquando illæ obturbentur. Nolim tamen Euphy-andrum meum Eremicolam esse , ac ia ipsas vel Libani , vel Carmeli solitudines se recipere : volo enim hunc hominem aliorum hominum , sociorum scilicet , amicorumque consuetudine uti ; volo illum adire doctorum , ac eruditorum colloquia ; nolo demum illum inter feras diuturnam vitam a-
geri

gere, ne inde ferinum, vel inhumanum, aut saltem inurbanum aliquid referat. Itaque restat, ut duo discutiamus: primum est, utram ruri, vel in civitate ad præfatum illum literarum finem, Euphyandrum degere vitam oporteat?

Urbana proœcto habitatio aliquid commodi, non nihil incommodi habet: commoda est ad librorum copiam, ad Doctorum hominum colloquia, ad agendum, conferendumque cum sociis, & amicis; incommodam tamen multa efficiunt, scilicet civiles tumultus, vulgi rumor, frequentes amicorum, aliorumque ad fallendum tempus accessus, privata, & publica officia. Sed his facile occurritur: quisquis enim humanas, vel divinas disciplinas aggreditur, populares tumultus facilè fugere potest, & amicorum accessibus modum ponere. Plurimi sunt, iisque viri doctissimi, qui cæteris hac in re præluxerunt: unus Archimedes ad instar omnium esse posset, qui dum Syracuse à victore Marcelli exercitu diriperentur, domi quietissimè Geometriæ vacabat, nec hostem à cive, militem à servo, Romanum à Græco, discernebat. Si autem ruri habites, tua commoda, non tamen sine incommodis senties, ad commoda pertinent, gratissimus secessus, solitudo minimè obturbata, quies pacifica, pretiosum otium, purior, ac desecatior aura; sed nonnulla, quæ ratio postularet, desiderantur: doctorum scilicet colloquia, literarii congressus, librorum, amicorum, ac sociorum communitas; hæc tamen aliud suppleri queunt; nam ut multis libris Euphyander minimè indiget, ita selectos, & necessarios secum habere potest: & si à civitate longius non absit, sed non procul in villa, vel sub urbanis hortis; amicorum & sociorum accessus facilis erit: nihil etiam vetat, quo minus in proximam civitatem se conferat, ibi per aliquot dies

subsistat , & cum doctis , & eruditis hominibus interim agat : hinc , ut vides , rustica habitatio , nihil ferè habet , in quo urbanæ præferri queat ; hinc excedit , indè exceditur ; superat , & superatur , & in alterius optione , vix lucrum , vix jactura est .

Alterum caput controversiæ est , circa variam locorum ac Cœli rationem : utrū scilicet regio calida , quam frigida ad literarum studia magis conduceat ? an crassior , vel magis tenuis aura ? an planus terrarum tractus , vel montosus ? equidem Cœlum in cerebrum hominis magnum imperium exercet : & nonnulli tractus vix mediocria ingenia nutriunt . Igitur palustrem , & crassiorem auram Euphyandro fugiendam esse arbitror : hæc enim caput gravat , cerebrum afficit , & totum vitiat corpus ; subtilior verò cerebro quidem placet , sed pulmoni nocet : hæc tamen ingenium acuit , animum excitat , longiorem somnum excutit , vel potius impedit ; hinc homo vigil , & alacer . Igitur ut utrique melius consulatur , corpori scilicet , & animo ; pulmoni , & cerebro : mediocrem aëris tenuitatem , moderatam crassitudinem esse vellem . Pari modo , tantam caloris , & frigoris exuperantiam castigarem : hinc fortè usque Æthiopes , & algentes Lapones , vel Samoiedi vix mediocri pollent ingenio : temperati terrarum tractus optima ingenia ferunt , ut Græcia , Italia , Gallia , Hispania , Germania : nec enim Euphyandros omnes sub eodem climate nasci oportet : nec ipsa Geometrica latitudinis mediocritas , quadraginta , & quinque graduum hoc sola privilegio gaudet . De montosis , & planis locis majus dubium nonnemini esse posset : non tamen aliquis momenti rem istam esse judico , modò cœli ratio habeatur : quod nec plus æquo tenue , nec plus iusto crassum , & densum esse postulat : prospectus

spectus aliquid facit, & serenitas: nempe sub udo semper Cœlo vivere, triste est: amœni colliculi placent: vultæ planities prospectum minùs jucundè terminant. Sed in hoc quisque suo genio indulget, quem nimia legum angustiæ, ut nimis contrahunt, ita minùs capacem, & explicatum relinquunt ad rem literariam excipiendam.

C A P U T . X V I I .

De Corporis cura.

UT nimia, & immoderata tuendæ sanitatis cura vitiosa; ita moderata, laudabilis, & necessaria est: nolim quidem Euphyandrum meum medicè vivere, ne miserè vivat; ita matutinam auram fugere, ut nullam diem, nisi post solis ortum, videre possit: ita vespertinam timere, ut conclave, post solis occasum, nihil penitus externi luminis admittat; nolim eum, vel astum, vel brumam, quidquid à minùs clemente cœlo est, tanta cura vitare, ut de sua, vel Reipublicæ salute agi videatur; ita ciborum delectum habere, ut nec Brassicas edat, quia bitem atram gignunt; nec Cepas, vel Porros, quia flavam; nec porcinam, qnia pituitam; nec legumina, quia flatus; nec lentem, quia oculis nocere dicitur; nec caseum, quia calculis materiam suppeditat; solem intueri, ut capitalem, & mortalem hostem; imò nec illum videre, nec ab illo videri velle, quod implacabilis odii signum est; in eo Conclavi nunquam habitare, cuius prospectus ad septentrionem, vel ad occasum spectat, quòd scilicet maligni aspectus esse putentur: nolo, inquam, Euphyandrum adeò scrupulosum, & anxium suæ sanitatis conservatorem esse; utpote cui anxietas illa, seu nimia sollicitudo magis noceret, quam illud ipsum, quod tantâ ipse sollicitudine arcere, ac fugere procuraret.

Nolo

Nolo tamen suæ vitæ , & sanitatis , suárumque virium prodigum esse , in pericula temerè rueré , nudum in medio gelu jacere , vel sub æstivo sole diu sudare : nempe illius sanitas pretiosa est , & vix scio , quid pretiosius sit. Igitur volo , ut commode habitet ; lautè vivat , quantum personæ conditio postulat , eamque vestium rationem adhibeat , quam præsens rerum status permittit. Itaque , eam corporis curam habeat , quæ nec anxium teneat , nec incautum fallat ; ab iis abstineat , quæ alioquin valetudinem non mediocriter afficerent. Hinc nonnulla illi facienda sunt , aliqua omittenda , ut debitam corporis curam gerat ; quæ ad victus , somni , habitationis modum pertinent , jam *suprà* non peristrinxí modò , verùm etiam , quantum res ipsa postulabat , luculenter exposui. De vestibus , & domestica suppellesti li , nihil est , quod dicam : ut enim necessariam volo , & qua , sine gravi incommodo , Euphyander carere non potest ; ita superbam , & superfluam non valde curo ; conditionis tamen , & statutus personæ ratio habenda est : ut natura paucis contenta vivit , ita si bombycina desit , lanea satis commoda est ; si argentea non sit , stanea , vel ærea uti poterit ; si absint pretiosæ pelles , viliores adhiberi possunt ; cibus bene conditus in vase staneo non displicet , & lanea stragula commode frigus arcent ; delicatum Adonidem Veneri permitto ; sed castis Musis , magis virilem Apollinem.

Quod verò ad medicorum operam spectat , eam adhibeat , si æger decumbit : nam summæ imprudentiæ esset , ea non uti ; si autem bene se habet , caveat ne propinatum sano medicamentum , morbum accersat ; nec enim medicamentum sani , sed ægri est. Et hoc est divinæ veritatis oraculum ; benevolentibus medico opus non

non esse. Memineris popularis illius Epitaphii: *Qui sto, per voler star meglio optimè hic homo se habebat: ut melius haberet, medicam potionem sumpsit, quæ statim ægrum lectulo, ac deinde vitâ functum tumulo affixit. Vegeta natura quidquid noxiæ inest, facile egerit, nec medicamenti opera adhibenda esse videtur, si omnis ægritudo absit; nam periculum est, ne alexipharmacæ, vel amuleta, quæ adhiberi solent, ut futuro morbo, qui non dum est, occurrant, præsentem morbum faciant: de relaxatione, ac remissione animi sequenti proximè capite dicam.*

Cæterum alacrem, atque hilarem animum habeat; corpus, & conclave ab omni sorde mundum; nocturnam auram in cubiculo diu fœtere non sinat, sed librum per fenestræ a volandi locum, & modum præbeat: si per summum ætum fenestræ patent, dum ipse in Musæo literis vacat, rapidum subeuntis, abeuntisque aurae fluxum, & flatum, ut insalubre vi tet: de aura serotina, pro varia locorum témperie, magis vel minùs sollicitus esse potest; sunt enim aliqui terrarum tractus, in quibus noxia est; in aliis verò minùs curanda: idem de sole dictum sit; sol enim Romanus, præsertim servante caniculâ, pestilens est; in Gallia, caput tantulum afficit, at citra malignam febrim, & vitæ periculum: matutina aut vespertina ante coenam balnea, dum aqua tepida est, & servet æstus, maximè probo: illa enim exuperantem caloris vim temperant, & dum cætera arescant, corpus humectant: ignem in cubiculo excitari, non nulli volunt; ego minùs probo: multus enim ex flamma halitus auolat, qui nocturnæ conclavis auræ admixtus, caput lædit; nolle tam Euphy andrum eo adduci, ut nunquam proprius ad ignem accedat; nam sœviente bruma, ignis corpusculum reficit, & quasi torpentinæ frigore animum recreat. Unum tamen cave; ne scilicet, quod fieri solet, ignis pigri-

pigritiam conciliat : turpe esset ingeniosum adolescentem in cinere diu sordere. Adde, quod diuturna illâ ignis morâ fauces arescant, guttur raucescit, sitis accenditur ; quid porro ab eo, qui moderatam corporis curam habet, cavendum, & omittendum sit, experimentis potius, quam præceptis cognoscitur. Fuge nimiam capitis contentionem, quæ ut plurimum sanitati noxia est ; longiorem defatigationem, quæ vires capit, & corporis exhaustit ; nimium ardorem in literarum studiis : festina lente.

Mediocrem diligentiam amo ; nimia, & immoderata displicet : studiorum lima firmissimas etiam vires cito frangit ; longæ vigiliæ summopere nocent ; continuus, & vix unquam remissus studiorum labor immaturam saepe mortem incautis attulit. Præterea cave, dum literis vacas, ne vel caput nimis aperatum sit : incalescit enim studiorum vi, & laxantul pori, atque adeò ambiens aura facile subit, & distillationes provocat ; vel pedes vehementiore frigore rigescant : hic enim extremorum artuum rigor intellinis, ventriculo, & capiti multum detrimentum afferre solet ; corporis, seu pectoris curuitas, dum vel scribis, vel legis, pulmoni pernicioſa est ; imò, & oculis lucernæ flamma ; utrique facile occurses incommodo. Dum infirmâ eris valetudine, parce labori, & gravioribus saltem studiis : ægrum enim corpus animo ægerrimè servit ; vivere non licet, quomodo laborare, ac sudare liceret ; otiosam tamen ducere vitam, nisi fortè graviore morbo correptus decumbas, nec animum juvat, nec corpori quadrat : quisquis enim otio invitus torpet, sanitatis causâ, sanitatem suam impensius affligit, & ipsum otium morbus est, illi præsertim, cui res literaria cordi, & otium acerrimi hostis loco est.

C A P U T XVIII.

De remissione, & relaxatione animi.

IN hoc ultimum hujus secundi libri caput quasi ad sarcinas, remisimus, & congesimus liberalia quædam obiectamenta, quæ ad relaxationem animi pertinent; hæc autem ad sex præcipua capita reduco: quæ sunt confabulatio, ambulatio, ludus, cantus, venatio, spectacula. Quod ad primum spectat, jucundæ, & amanæ confabulationes animum maximè reficiunt; nempe de rebus amœnioribus ultro, citrōque liberiū agere, citra contentionem mentis, & vocis; præsertim si nonnihil puri salis, & honesti joci admisceatur, mirum quantum diuturnis studiis fessum hominem recreet, & tensum eaput relaxet; hic acutè dicta, grata proverbia, nonnulla ludicra, modò honesta sint, jucundæ historiolæ, inopinata responsa, eaque prompta, gratae amphibologiæ, & ironiæ, locum potissimum habent. Unum cave, ne ullo verborum aculeo quempiam pungas; ne obstinatiū cum aliis de re proposita contendas, ne de rebus arduis, per jocum minimè discutiendis, sermonem misceas; ne quæstiones scholasticas moveas, quæ hujus loci non sunt, sed Academiæ; ne quasi ad Populum concionem habere videaris: nec enim concio, confabulatio est; hinc ut semper ac perpetuò loqui, puerile est; ita plus æquo taciturnum esse, melancholicum.

Nonnulla hac de re, in suminula nostræ Philosophiæ, part. 5. cap. de artific. habitudinum n. 2. ac 3. scripsimus in hunc ferè modum: illa mihi consuetudo placet, quam virtus honestat, doctrina illustrat, prosequitur honor, jucunda recreant colloquia, & medici sales condiunt. Priùs audire, quam loqui prudentis est; semper loqui, vel loquentes alios interpellare, loquacis, & garruli; sermonem tumultuosè aliquo transferre, inconsiderantis; saepius oscitare, rusticum est; humile, verbis obsoletis uti; de re singulari

gulari perpetuò loqui, sterilis, & importuni est. Res suas perpetuò prædicare, & extollere, putidi ; hoc vitium senibus familiare est, utpote qui laudatores temporis acti, se, ac sua pro vitæ exemplaribus proponunt; frontem plus & quo contrahere, ori contineat manum admoveare, barbam peñtere, scalpere caput, inquieti animi; perpetuo silentio sermones aliorum condire, Melancholicum ; eādem semper formulâ uti, ridiculum ; contemnere, quæ ipse nescis, superbū ; de re qualibet contendere, scholasticum.

Alterum caput ambulatio est. quæ corpori recreando, relaxandoque animo aptissima est ; porrò ambulatio, confabulatione, & colloquio condienda est, ne supplicatio esse videatur. Ut autem bene succedat, tria sunt potissimum, quorum ratio habenda est: tempus scilicet, locus, modus. Matutinum tempus nonnullis ad ambulandum commodius esse videtur; aliis vespertinum; mihi utrumque; modò cœlum serenum sit: nam relaxandi animi gratiâ deambulare, dum vel ningit, vel pluit, vel paulò vehementer fiat ventus, enormis imprudentia esset. Utrum verò diurna ambulatio esse debeat, prudenti Euphyandro judicandum relinquo : si enim quotidiana est, vix illi horam concederem; si semel in hebdomada adhibeat, plures horas ultrò condonarem. Ambulacra verò amœna sint; manè montes; serò fontes; sylvæ per æstum jucundæ sunt, grata pratorum, agrorumque viriditas, florum varietas, murmur aquarum, saltuum prospectus; uno verbo is aliquando est locorum, & tractnum situs, qui ambulantium oculos mirabiliter recusat Modus ambulandi is profectò non est, quem cursores, aut viatores tenere solent; in hoc, juniores præsertim non raro peccant, qui nisi multa millaria consecent, ambulasse non credunt: summa illa corporis defatigatio, si forte alicui profuit, multis haud dubie nocuit: nec ad rem literariam ullo modo conducti, cui

cui emne defatigationis genus adversatur: si tamen ratio locorum ita postulat, vel cœli intemperies, vel ciborum habitus, vel frequens in corpore obstruc-
tio, aliquoties per annum longiores ambulationes permitterem; porro pro conditione personæ currus, vel equus adhiberi potest; quamquam pedibus ire, animum, & corpus juvat.

Quod ad ludum spectat, hic ad relaxationem animi nonnihil facit; semper ludere pessima occupatio est. Ludi autem infiniti excogitari possunt; ii præsertim placent, qui aliquam ingenii, vel corporis dexteritatem postulant, v. g. ludi utriusque tuniculae, majoris scilicet, & minoris, pilæ, disci, latrunculorum, taleolarum, metularum, brevioris, vel longioris globi; ludus aleæ nullatenus placet; quia minus cautum animum sæpius abripit; nempe fortunæ potius, quam virtuti homines ut plurimum credunt; aleatores autem male audiunt: satius eit, aliquod lucrum ludentibus proponi; modicum tamen, ne si majus sit, inde vehementius ludendi studium accendatur. Porro lude, ut animum recrees, vincendi quidem, & lucrandi gratiâ; si tamen secùs accidat, primum saltem finem obtinebis: hinc iram, & rixas, quæ, inter ludendum oriri solent, facile vitabis; cum id præsertim consequaris, quod in ludo, tibi proposueras; animi scilicet relaxationem. Cantis non parum recreat animos, præsertim si musicorum instrumentorum harmonia accedat: in hoc varia est hominum indoles, varius genius: singulis aliquid indulgendum esse puto: quot capita, tot sensus; quot homines, tot gustus: sunt qui musicam effictim amant; sunt qui nihil, aut parum curant: neutrum improbo; utrumque laudo: hic animi, vel corporis habitus ab educatione profectus est, non ab ipsa natura institutus.

Idem de venatione dictum sit, cui pifcationem, & aucupium annexo, cujus amore nonnulli adeò flagrant,

flagrant, ut cibi, & somni, ac sui memores non sint, ubi de venatione agitur. Ut autem immoderatum venandi studium castigandum est, ita moderatum condonari potest. Et verò non modò in venatione, animus remittitur; verùm etiam corpus recreatur: nempe exercitatio illa humores sordere non sinit, torporem excutit, obstructos meatus appetit; uno verbo, dum moderata sit, valetudini tuerendæ inutilis non est.

Spectacula, modò illa honesta sint, Euphyandro interdicere, nec volo, nec debeo: quid enim animum magis relaxet, excogitare non possum. Illa tamen frequentia non sint; alioquin plus æquo animum distraherent; cum iis homines plurimū afficiantur: illi enim falli, ac sibi imponi gaudent, rident in ludicris, in horridis timent, flent in lugubribus; mira est haud dubiè spectaculorum vis, quæ fletum in risum, & risum in fletum, temporis ferè momento convertit, irâ accedit, commiseratione demulcit, expectatione animos suspendit. Cæterū ad relaxandum animum, honestas comedationes aliquoties per annum Euphyandro facile concederem: hic enim paulò hilarior amicorum convictus, modò intemperantia, & ebrietas absint, amicos exhilarat, & communia nutrit studia. Vulgare proverbium est, semel in anno ridere Apollinem. Auctera etiam virtus hæc minimè prohibet, nisi forte frequentiora, & immoderata sint; hinc præter illam, quam Euphyandro relaxationem unius, vel alterius etiam horæ singulis diebus permitto, aliisque paulò longiorem in hebdomada; tertiam libera liorem, autumnalem scilicet, ulro concedo, ut vel inde alacrior evadat, & novis instructus, atque refectus viribus, literarum studia repetat. Sed de his, atque adeò de secundo hujus opusculi libro,
hæc sint satis.

ΕΠΙΧΕΙΡΗΣΙΣ ΕΠΙΧΕΙΡΗΣΙΣ ΕΠΙΧΕΙΡΗΣΙΣ
ΕΠΙΧΕΙΡΗΣΙΣ ΕΠΙΧΕΙΡΗΣΙΣ ΕΠΙΧΕΙΡΗΣΙΣ

LIBER TERTIUS,

De disciplinis, quas Euphyander sibi
comparare debet.

IN duobus præmissis libris, de iis disputavimus,
quæ vel à natura Euphyander, vel à parentibus,
vel à magistris accepit, vel proprio sibi marte
comparavit; in hoc verò libro de iis disciplinis dis-
putabimus, quas idem Euphyander majore saltem
ex parte capessere, ac tenere debet: apum, & idoneum
hominem hactenus descripsimus, & illa omnia ex-
posuimus, quibus iuri à natura, tum ab arte in-
structum esse oportebat, ad literarum studia capes-
senda; nunc autem ea tradimus, qua seire; illa
studia exponimus, quibus incumbere; artes illas, &
disciplinas recensemus, quas ille sibi comparare de-
bet; nec disciplinam, vel artem indicâsse contenti,
modum etiam breviter aperiemus, quô facilius eam
discere possit; imò quid, & quantum in singulis sci-
re, & quoisque rem banc promovere debeat, bre-
viter exponemus.

CAPUT PRIMUM,

De Stylo.

Cum ea, quæ in hoc libro tractaturi sumus, pau-
lò majoris momenti sint, ac proinde accura-
tiùs discutienda; singula capita suis numeris distin-
guemus, ut res magis perspicua, & distincta fiat.

1. De populari, ac vernacula lingua hoc loco
non ago, quamquam Euphyander ità institutus esse
debet, ut ea planè, ac nitidè loquatur, & scribat;
obsoletum dicendi modum fugiat, quo reverà inge-

genui homines non utuntur ; non exprimat literas, vel syllabas putidiis juxta usitatam nonnullarum provinciarum consuetudinem, & dialectum, quales sunt in Italia, Calabri, Ligures, Insobres ; in Gallia, Cantabri, Provinciales, Arverni. Ut rusticum, & agrestem stylum, etiam vernaculum odi, ita quædam mihi suavitas placet, tum in dicendo, tum inscribendo ; nempe certa quædam vox est, inquit Tullius, Romani hoc est patrii, generis, urbisque propria, in qua nihil offendit, nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare, aut olere peregrinum ; neque solum rusticam asperitatem, sed etiam Peregrinam insolentiam fugiat, oportet : non asperè dicat, non rusticè, non hiulcè ; sed pressè, & æquabiliter, & leniter ; vocis sonus ita simplex, & rectus sit, ut nihil ostentationis afferre videatur ; hinc forcè nobiles quædam foeminae purè, ac nitidè loquentur, tum quia, ut ajebat Crassus apud Tullium, facilius incorruptam antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes, ea tenent semper, quæ prima didicerunt ; tum quia lingua flexibili valent, & cum ab aliis artibus, ac literarum studiis abstinent, hanc unam Spartam potissimum, ac singulatim adornant.

2. Præter indolem, patriam, educationem, nonnulla sunt, quæ ad purum dilucidumque sermonem conducunt ; Patria certè plurimum juvat, nec non primus ille linguæ usus, & motus ; hinc qui vel Aureliae, vel Gergoviæ nati sunt in Galliis, nitidissimè, ac lenissimè vernacula linguâ loquuntur ; hinc antiquis annalium monumentis traditum est, antiquos Francorum Reges procurasse, ut suis liberis nutrices Cabilone accenserentur, ut scilicet rectum loquendi modum pueri ab iis acciperent : hinc ut Cicero bene observat, ille suaviter loquendi modus in latino sermone Romanorum fuit, Atticorum vero in Graeco, ita, ut eruditissimos homines Asiaticos qui-

quivis Atheniensis indoctus, non verbis, sed sono, & suavitate vocis superaret. Præterea illorum hominum consuetudo, quorum purus, ac dilucidus sermo est, ad rem hanc non parum confert; usus quoque benedicendi linguam format, & perficit, quisquis demum in eorum libris, qui purè scripserunt, studiosè volutatus, ad imitandum sese accingit, id brevi consequitur, ut eandem sermonis rationem tenere possit; facilis enim est dictioñis imitatio; sed hæc ut omittere non debui; ita nec longius à me producenda sunt; ea breviter indicasse, & obiter perstrinxisse contentus.

3 Quod verò spectat ad eas linguas, quas ideo mortuas vulgus appellat, quod nec iis quidquam accedere, nec decadere, aut detrahi possit, qualis Græcorum, aut Latinorum lingua est, latina familiarior esse debet; igitur Euphyander latinè dicat, & scribat; ut enim moribus, & vita, ita sermone, ac dictione barbarum esse nolo. Mirum, quantum pura, & nitida latinitas illos auctores commendet, qui suas lucubrationes in lucem ediderunt; & licet aureo illo Ciceronis ævo latinè loqui vix aliqua laude dignum esset; nemo enim, ait Crassus apud Tullium, nemo unquam est oratorem, quod latinè loqueretur, admiratus: nam si est aliter; irrident, neque eum oratorem tantummodo, sed hominem non putant; hisce tamen temporibus adeò pauci sunt, qui puram, ac nitidam habeant latinitatem, ut latinè loqui in summa profecto laude ponendum sit; hinc superiori saeculo, Sadoleti, Bembi, Osorii, Manutii, Longolii, Mureti, Mafeii, aliisque quam plurimi purissimæ latinitatis gloriâ cum florerent; maximam inde laudem retulerunt, magnimque sui desiderium doctis omnibus reliquerunt. Hujusmodi hominum penuria nostrum hoc saeculum satis laborat; quia forte ii Mecænates desiderantur, qui optimas artes suo patrocinio soveant ac promoveant; Leo decimus

Pontifex maximus, Franciscus primus Galliarum Rex, Laurentius Medicus, nonnullique alii nunquam fatis laudari possunt, quod scilicet liberaliores disciplinas mirificè promoverint, & eximios illarum cultores liberalissimi Principes omni beneficiorum genere cumularint.

4. Itaque illud apud omnes constare debet, quod convelli nullo modo potest, ut rectè Sadoletus monet; in omni scriptorum studiorumque genere, latinam linguam, quā nec gravior ulla est, nec præclarior, præcipue ab Euphyandro excolendam esse; præterquam quod nobis ab eis viris majoribus nostris tradita est, quorum admirabilis, incredibilisque sapientiae neminem potest omnino pœnitere; in qua quidem, ego spero, illum, atque opto, unā cum cæteris artibus optimis, quibus deditus esse debet, assidue versari; quis enim non videat, gravissimas etiam disciplinas, Philosophiam scilicet, & Theologiam, minus apte munus tueri suum, si à copia, & facultate dicendi deserantur: at levia ista sunt, inquies, (sunt enim nonnulli usque adeò rudes, ut hæc quoque studiosis bonarum artium hominibus objicere non vereantur) quasi verò leve censendum sit, cum quis, quod facit, id apte, ac venustè, ac sine labe ulla, maculaque fieri; quod si decor, aut nitor ab oratione, & stylo removendus sit, cur non idem etiam à moribus illis, qui in gestu, & omni motu corporis, ipsaque vocis, atque vultus conformatio liberali, bene institutos homines ab agrestibus discernunt? an quisquam est, qui reprehendere jure queat, quod quis sine sorde, & corporis, ac vestium honestiore cultu incedat; sed de his fusiūs, cap. 3.

5. Hinc nonnullorum errorem castigabis, qui barbariem plus æquo extollunt, tersumque stylum in infimas Grammaticorum scholas detrudunt; latitudinem rei Theologicæ, & Philosophicæ prorsus inutilēm videri volunt; Sophistæ garrenti condonandum

dam esse; differenti tamen Theologo, minus quadrare; quid ille dicat, non quomodo dicat curandum; res, quas, vel dicit, vel scribit, in examen vocari, ipsum tamen dicendi modum minimè considerandum; modò ab aliis, ea quæ ipse scribit, probè intelligantur; de reliquo parum sollicitum *h. e.* Hæc haud dubiè in vulgus sparguntur in eorum gratiam, qui ætati nostræ propinquiores, omnia inconditis libris referserunt, quos, ut damnare non possum, quis enim me Judicem constituit; ità, & illos summopere laudo, qui in omni studiorum, & librorum genere liberalem dictionis modum tenuerunt: in Theologicis Petavius ad instar omnium esse potest; cuius sane oratione nihil jucundius auribus accidere potest, utpotè quæ sic pura est, ut latine loqui penè solus videatur; sic autem gravis, ut in gravissimis argumentis omnis adsit humanitas, & lepos; huic adjungo P. Danielem Carmelitam, qui non ità pridem in primam D. Thomæ partem, ut ajunt, eo styli nitore scripsit, ut nihil in eo vitiolum, præter nimis tersum dicendi genus esse possit; Oforium eo loco habeo, quem vix primis hominibus concederem; Melchior Canus vix inferioris est ordinis; uterque sane id saltem obtinuit, ut de rebus arduis, ac litigiosis puro, ac dilucido sermone scripserit: nonnulli sacræ scripturæ interpres latine, ac pure dixerunt: Sadoletus terribilissimam orationis attulit rationem: Sanctius noster purus, ac nitidus est: Pererius etiam satis latinus, uti & Delrio; de controversiis plures castigato stylo egerunt: ex antiquioribus, Albertum Pighium cæteris antepono; ex Recentioribus plurimi sunt, ut Stephanus, Dechamps, Annatus; Erasmum, Calvinum, Melanctonem, aliósque sectarios, aut suspectæ fidei homines prætero, qui fœdissimam doctrinæ impuritatem cum incredibili dictionis puritate conjunxerunt: inter Medicos, Fernelius latinus est, itemque

Fracastorius; inter Historicos, Janinus, de Bussieres, Famianus, Mafeius, Orlandinus, Sachinus, Thuanus, Peguillonus, Bembus, Jovius: Buchananum appellarem, nisi religionis proditæ, ac desertæ causâ infamem illam posteris tradidisset. Inter Philosophos, habes Gallutium, Gassendum, atque adeò ipsos Coimbricenses, quorum stylus à latino alienus non est: denique inter politioris literaturæ homines, plurimos recensere possem: utrumque Pontanum, Scaligerum, Lipsium, Caussinum, Celotium, Hein-
sium, Milliaum, Magnesium, Bidermanum: omitto alios, quos longius esset recensere, de quibus infra.

6. Latinè igitur & planè Euphyander dicat; latinè quidem, si usitatis verbis, iisque lectissimis utatur, & ea dumtaxat efferat, quæ nemo jure reprehendat: ea autem sic casibus, temporibus, genere, & numero conservet, ut nè quid perturbatum, ac discrepans, aut præposterum sit: planè autem dicet, si verbis propriè demonstrantibus ea, quæ significari, ac declarari vult, utatur: sine ambiguo verbo, aut sermone: non valde longa continuatione verborum, non valde productis iis, quæ similitudinis causâ ex aliis rebus transferuntur: non disceptis sententiis: non præposteris temporibus: non confusis personis: non perturbato ordine: quod certè non nullis familiare est, quorum oratio ita confusa, & perturbata est, nihil ut sit primum, nihil ut secundum, tantaque insolentia, ac turba verborum, ut oratio, quæ lumen adhibere rebus debet, obscuritatem, & tenebras iisdem afferat. Et verò incredibilis est nonnullorum in dicendo obscuritas, qui non modò obscura, verùm etiam ea, quæ per se ipsa clara sunt, obscurè proferunt: ipsi luci tenebras aspergunt, atque obducunt: vix ipsis constat, quid sibi velint: verbis utuntur impropriis: is est orationis plexus, qui sensum potius sub ænigmate recondat, quam vel legenti, vel audienti aperiatur; miram rerum confusionem

fusionem in mente illos habere necesse est, qui tantam earumdem perturbationem in charta præferunt: ingenuè dicam, quod sentio, vix iram, & stomachum contra hujusmodi homines continere possum, qui suas tenebras, ut vocare soleo, in publicam lucem edunt, & cùm omnibus scribant, ita tamen scribunt, ut vix à paucis intelligi queant: quod quām absurdum sit, prudentibus considerandum relinquo: quamquam, quid sentiam, satis exposui.

7. Ea est in nonnullis expressionis felicitas, ea orationis perspicuitas, isque styli nitor, ut statim plura quedammodo intelligas, quām ipsi dicant; quo verba, tot lumina, quæ illico audientium, vel legentium animos perfundunt; propriis utuntur verbis, eoque orationis plexu, qui statim rerum expressarum nativam imaginem ob oculos ponit; ita ut nec quidquam felicius exprimi, nec luculentius explicari, nec illustrius repræsentari posse videatur; nulla in eorum scriptis ambiguitas, nulla obscuritas, cuncta dilucida, & perspicua; hinc sanè non-nulos Decumani erroris merito argues, quibus nulla oratio placet, nisi obscura; nulla dictio, nisi abstrusa; nullus dictionum plexus, nisi perplexus; nullus sensus, nisi ambiguus In hoc numero aliquos esse mihi compertum est, qui cum alioquin latinitatis peritisim sint, obscuritatem tamen impensiore studio affectant, obscurè loqui in laude ponunt, quasi is oratorum stylus sit; Si quod abstrusum verbum, si qua recondita formula, si qua est phrasis inaudita, illico adhibent, & non intelligi glriosum putant: ego contrà facilem loquendi modum, nitidumque stylum in pretio habeo; de numero, & ornatu cap. 3. ex professo dicam; loquimur enim, ut intelligamus; etiisque stylum cæteris anteponendum esse puto, qui majorem facilitatem, & claritudinem præfert; modo tamen latina, & usitata verba sint, isque verborum plexus, qui nihil asperum, nihil agreste,

nihil durum, sed lenissimum orationis fluxum, & sonum post se relinquat.

8. Nec deest ratio, qua latinum illum, optimumque dicendi modum Euphyander sibi comparet; habet enim præcepta latinè loquendi, quæ puerilis doctrina tradit, subtilior cognitio, ac ratio literarum alit, consuetudo sermonis quotidiani confirmat, & lectio eorum librorum perficit, qui puram dumtaxat Latinitatem admittunt. Et verò omnis loquendi elegantia, quamquam expolitur scientiâ literarum, tamen augetur legendis Oratoribus, & Poëtis, ut ait Cicero: sunt enim illi veteres, qui ornare nondum poterant ea, quæ dicebant, omnes propè præclarè locuti, quorum sermoni affuefacti, qui erunt, nec cupientes quidem poterunt loqui, nisi Latinè. Itaque quisquis Latinam linguam sibi comparare cupit, quadruplici via ad finem optatum pervenire potest; præceptis scilicet, usu, lectione, & scriptione; præcepta pueris in Grammatica tradi solent, quorum multiplicitas, ne memoriam obruat, ars præsertim, & methodus facile obtinebunt; mihi sanè hoc loco, Grammaticum agere non vacat; huic officio aliquando, si per tempus licet, non deero; sed cum iis hominibus ago, qui jam puerili illa institutione imbuti sunt. Usus, quem secundo loco posui, primum facile tenere posset; hic enim linguarum optimus magister est, quem quisquis adhibet, eum fructum refert, quem pollicor; septennes, vel octenes pueri, qui Romam ex Germania deportantur, vix sex integratos menses, cùm aliis puerulis in publico ludo versati sunt, cùm Hetruscā linguam optimè dicerunt; quod sàpè non sine aliqua admiratione probavimus; & jam ipso usu linguam hanc vernaculam, non minus Theutoni difficultem, quam ipsa Latina sit, familiarem habent; cùm tamen vix primam Latinorum nominum declinationem toto illo tempore, imò vix legere didicerint.

9. Uſus ergo maximum eſt hujus artis compendium, ea tamen lege, ut Latini, non barbari sermonis uſus fit. Nonnulli ſunt, ut verum fatear, qui facile loquuntur, ſed barbarè, non Latinè. Ut facilitas male agendi, ita & barbarè, ac ineptè dicendi vitioſa eſt: rerum optimarum uſus optimus, peſimarum tamen, peſſimus. Et verò cum de lingua diſcenda agatur, bonus uſus aquè facile, ac malus comparatur; diligentiam, & curam noſtrā tam vili pretio addiscere non debemus, nec operam noſtrā tam parvo stipendio locare. Quod ad ſcriptiōnem ſpectat, illa mutus quidam uſus eſſe videtur, iſque cauтор, & accuratior; ſi enim aliqua dictio aptè non cadat, nullo negotio expungitur; mini- mi etiam nævi in candida, & virgine charta late- re non poſſunt; calamus fidelis censor eſt; mirum quantum hæc Latinè ſcribendi ratio ad puram La- tinitatem obtinendam conferat: illud tamen p̄ſerit vitium fugiendum, in quod non pauci te- merè impingunt, vix enim aliiquid latinitatis deli- bârunt; cum ſtatim ad forenſes Cauſas ſcribendas, ad panegyricos ſeſe accingunt. Erras, mi homo, erras; vix Latinè ſcis, & ornatè; figuratè, magnificè di- cere aggredieris; vix ad grammaticorum leges ſcri- beres, & Rhetorum pompa in dicendo adhibes; non tam oratorium, quam epistolarem ſtylum de- fidero; de inſimis, & communib⁹, non verò de arduis, abſtrusisque rebus, ſaltem initio ſcribendum eſt; ſed de hac ſcribendi methodo, ſuo loco ex pro- feſſo agam. cap. 14.

10. Lectio illorum auctorum, qui Latinè ſcri- perunt potiſſimum locum in hoc genere habet, dum enim legimus latinè & eleganter ſcripta, optimum dicendi exemplar ante oculos habemus; hic ſola imitatione opus eſt, imò ad eum finem, eoque ani- mo libri legendi ſunt, ut ea, quæ nos legimus, in ſimiſi deinde, vel alio caſu, imitemur. Quinam ve- rò

rò libri ad rem hanc conducant, ex antiquioribus; plerisque habes, Cæsarem scilicet, Salustium, Lucretium, Plautum, Terentium, Horatium, Propertium, Catullum, Tibullum, Ovidium, Livium, Curtium, Virgilium; sed unus, ad instar omnium, Tullius erit: dicam, quod sentio, in paucis Tullii lineis est, quod imitari; est, quod admirari possimus. Novi ego exquisitissimi homines ingenii, qui Ciceronem ferè semper in manibus habent; in eo latinitatis puritatem, elegantiae florem, dictionis venustatem, elegantiae vim, styli majestatem, orationis dignitatem, sententiarum lumina, verborum delectum, figurarum ornatum, sales, & acutè dicta invenies; uno verbō, inde homines censere soleo, unde ipsi Tullium censem. Et verò nonnullos pudere deberet, qui cùm his artibus parùm instruti sint, Ciceronem, ut verbosum, & loquaciorem hominem traducunt; utpote, qui præter artificiosum quedam verborum plexum, nihil penitus habeat: tu verò, mi homo, apud quem Tullius eo loco est, vix scrupulum judicii habes; recole vetus illud proverbium: nè futor ultrà crepidam; disce prius Latinè loqui, ut deinde rectum de latinæ eloquentiæ Principe judicium feras. Itaque, ut Euphyander Latinè loqui, & scribere discat, Tullium sibi familiarem faciat, nunquam ferè illum de manibus deponat, imò nonnulla ex eo, si ita judicet, memoriae mandet, & finem optatum haud dubiè obtinebit. Quod verò ad Recentiores attinet, jam suprà illos appellavi, qui Latinè scripserunt: Muretus, Manutius, Longolius sinceri Ciceronis imitatores sunt: Osorius, Sadoletus, Bembus singularem dicendi modum, eum tamen latinissimum adhibent; Perpinianus paulò laxior; Strada strictior; Orlandinus ornatior; Sachinus siccior; Mafejus numeris omnibus absolutus; sed hic anacrisim non facio.

II. Græcam linguam, eodem modo discere poterit, non tamen necessarium esse puto, ut ea loquatur, vel scribat; modò illam intelligat: reliqua facile illi condonarem, atque remitterem; non tamen est, quod eorum consilia improbem, qui linguam hanc ità descendam suscipiunt, ut Græcè eleganter dicere, & scribere valeant; hoc certè in maxima laude repono; non tamen existimo, hanc operam ità esse necessariam, ut eam Euphyandro meo imponam; nempe licet ea Græcè loquendi, atque scribendi facultate careat, is profectò non erit, qualem Euphyandrum esse nolim. Itaque, ut communis, vulgarisque parœmia fertur: Latinè loquatur, græcè intelligat, hebraicè legat. Ut autem græcam linguam dumtaxat intelligat, longè minore studio opus est, quam si ea loqui vellet; nec est, quod onera, quæ Euphyandro imponenda sunt, multiplicem, cum vix iis, quæ imponam, par omnino esse videatur.

C A P U T II.

De Poësi.

I. POËtam quidem, qui totam vitam in condendis scribendisque carminibus collocet, Euphyandrum esse, non modò non patior, sed enixè veto; non diffiteor tamen è Republica literaria esse; ut non nulli, quos ad id muneric natura finxit, Musis dumtaxat vacent; sed ut ingeniosus adolescens hanc unam spartam adornet, & huic dumtaxat Provinciæ incumbat, auctor illi profectò non essem; res Poëtica jucundissima est, & præclarissima, quis ambo inficias eat? si tamen sola sit, aliis facultatibus, optimisque artibus destituta, suo pretio reverè non caret, sed ad summum illum dignitatis gradum minimè assurgit, in quo Euphyandrum collocandum esse existimo; eximius Poëta es, tibi gratulor; sed orator non es, historiam, Geographiam, Chronologiam

giam non tenes, te minus eruditum esse constat Geometram, Philosophum, Theologum; vide, quam multa in te desiderentur, quae minimè tibi gratulamur: igitur laudabile est arte una pollere; sed omnibus disciplinis instructum esse, longè laudabilius est; illud enim aliqua, hoc verò omni profectò laude dignum est.

2. Itaque Euphyandrum eum esse desidero, qui ubi res postulabit, epigramma, oden, elegiam, Poëma, imò, & tragædiam scribere valeat; nempe hi sunt optimi, quo valet, ingenii fructus, & fœtus; ingenium literis omnibus servire aptum est; imò nemo est, qui nesciat, Poëticam scriptionem solitum ingenii fœtum esse; enim verò illud ferè omnibus solemne est, qui eximio pollut ingenio, ut mulis aliquando vacent, & in re Poëtica suam operam collocant; quis enim est, cui perswasum non sit, non esse eam interea, quæ minimi ducuntur; non vulgarem, non levem; summum esse quiddam, ac planè divinum: lectis enim è vocibus, admodumque puris efficitur versus, & nihil hauritur de fæce; ubique passim ingenium micat; hinc primus est ingenii fervor, primique fervoris æstus; primi sunt luxuriantis, & quasi turgescentis animi flores, in quos mentis ardor erumpit: quibus deinde meliores, & solidiores fructus succedunt: hinc poësis primum est Euphyandri Tyrocinium; utenim se talem esse demonstret, Poëticam illico aggreditur, commune scilicet ingeniorum argumentum; igitur, ut totum musis addictum esse, non probo, illa enim operosæ mentis sphæra angustior esset; ita, & illum aliquamdiu musis vacare desidero.

3. Et verò in re, quæ ingenii est, à Tyrone superari, Euphyandrum puderet: nec scire; aut posse, ubi res feret, vel duo disticha cedere in epigrammate, vel tres strophas in ode, vel aliquot versus in Poëmate, ruboris, ac pudoris, dubio procul omni ma-

zimē res est: exempla tum superiorum , tum etiam posteriorum temporum plurima suppetunt; Aristoteles summus ille Philosophus , de quo *infra* , mis non levem operam dedit , eásque multis versuum millibus donatas dimisit: Empedocles ita Philosophiam cum Poëtica conjunxit , ut jure utrovis , imò utrōque nomine appellari possit; Aratus , & Manlius Astronomiam cum Poësi ita copularunt , ut summus uterque Astronomus , & Poëta elegantissimus haberetur ; quamquam , ut ait Cicero , constat inter doctos Aratum , ignarum Astrologiæ , ornatissimis , atque optimis versibus de Cælo , stellisque scripsisse: Tullius versibus etiam lusit , dispari licet eventu; in sanctis Patribus idem Poëticæ studium fuit , ut in Nazianzeno , Prospero , Sydonio , Paulino ; sed ut ad posteriora tempora descendam , Jovianus , Pontanus , Sannazarius , Fracastorius , Policianus , Scaligeri gemina dicendi facultate soluta scilicet , & Poëticâ florerunt : Bucananum in scenam vocarem , nisi musas apostasiâ suâ polluisset : de illo tamen dicere ausim , neminem fortè his temporibus purius scripsisse , & vixisse impuriūs.

4. Ad nostra tempora venio , quæ summos etiam Theologos , Poëtas vidi; Leo Sanctius , vir acerrimi ingenii , scenam aperit , quem alii turmatim sequuntur , Alciatus , Giattinus: Millius , qua vena esset , Moses ipse suis tabulis consignavit ; Bidermanus ipso Apollinis ore locutus esse videtur ; Jovini nativa savitas mirifica ; Magnesii majestas admirabilis . Boiræi subtilitas singularis ; hi tamen omnes , licet non eodem gradu , Theologi exititerunt: De Petavio , nihil est , quod dicam , quem scilicet gens omnis , & omnis ætas , & linguæ omnes celebrabunt ; hic enim non modò summus Theologus , eximius Mathematicus , rarus Philosophus , verùm etiam Orator egregius , & exquisitus Poëta fuit ; alios prætero , qui utroque dicendi genere , soluto scilicet , & Poëtico

floruere : inter quos fortè Stephonius Principem locum tenet, ad quem proximè accedunt Famianus, Guinisius, Casimirus, Cauffinus, Celotius, Mambrunus, de Bussieres, Rapinus, aliisque quam plurimi, quos longius esset recensere.

5. Porro Poëticum studium, si non omnino necessarium, saltem non parum utile est : nempe mentem excitat, acuit, aptiorem ad majora studia capessenda relinquit, & divino quodam spiritu afflat: hinc saepe audivi, Poëtam bonum neminem, (quod à Democrito, & Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum exilere posse, & sine quodam afflatu, quasi furoris : hinc Ennius apud Tullium sanctos Poëtas suo jure appellat, quod quasi, inquit, Deorum aliquo dono, atque munere commendati nobis esse videantur: & verò Cælestis cuiusdam caloris illapsum Poëticum illud studium secum affert, quo ubi animus incalescit, ignem concipit illico, & multam lucem spargit: hinc lumina, & acumina, hinc prompta cogitatio, hinc explicata simulacra, & visa, hinc celeres animi motus, & nutus, hinc divino quodam œstro, vel entusiasmo mens percita, plurima parturit, quæ nunquam alias, nè per somnium quidem occurrisserint: hinc demum entheus, hoc est, divino spiritu plenus, sœcundum pectus concutit, & novo quodam miraculo, cui Moses præluxisse videtur, Castalia fluunt aquæ, & ex ubere vena, suis quasi pedibus, non invita poëmata currunt.

6. Neque id dumtaxat commodi ex Poëtico studio referri potest; sed etiam aliud, quod reverè singulare est: quid enim amabò ad rem literariam magis confert, quam exquisita ratiocinii facultas, & indita ad ratiocinandum habilitas? hanc autem Poëticum studium non parùm juvat, non mediocriter promovet: nempe cùm in condendis versibus, multiplex rerum, ac verborum analysis, multiplex analogia,

logia, & conjugatio adhibeatnr, & cùm in ratiocinio, perpetua ferè analysi , & rerum conjugatione opus sit: inde sanè mens ad ratiocinium magis idonea, & habilior evadit, unde analogiarum , analyseos, & conjugationum, vel ut parum Latinè dicunt , combinationum artem sibi comparat: igitur quod ostendendum erat , amœnum illud studium , quo musis vacamus, non est prorsus inutile ; cùm scilicet ex eo non contemnenda ratiocinandi habilitas accedit, & arte illa analyticæ, quæ ratiocinii facultatem adeò perficit, animus inde instructior evadat: quod quanti faciendum sit in re literaria, nemo eit, saltem inter candidatos, cui perspectum non sit.

7. Ut autem corporis exercitatio ad sanitatem tuendam, augendāmque commoda, & utilis eit: ità Poëticum studium sanitati mentis, hoc est alacritati animi, habilitati, & habitudini , qua scilicet ad literarum studia capessenda expeditus est , non parum conducit: ut enim exercitatio illa, & motus, membra torpentia excitat, articulos expedit, iusculos explicat, nervos solvit, torporem excutit, totum denique corpus ità afficit, ut inde homo agilior, & expeditior evadat : ità studium illud Poëticum , seu fervor, & ardor, ità mentem explicat, & animum expedit, ità implicatum exolvit ingenium , ut mens inde habilior ad studia restet ; animus paratior; promptius ingenium; homo denique in opere literario majori cum facilitate , & pari felicitate desendet. Et verò magna laus eit eorum , qui non ad vulgarem, humilēmque artem, sed ad nobilem illam liberalēmque doctrinam, Poësim scilicet, sua studia contulerunt , præsertim cum veteres illi homines sapientissimi, quibus optimi , ac summi Dei vocem audire, ejusque sermone frui sæpe licuit, Poëticæ facultatis admodūm studiosi fuerint, suāsque cogitationes non soluto , & liberiore sermone, sed verisibus exponere voluerint , quorum opera cùm legitimis, miri-

mirificè afficimur; habet enim ars Poëtica dignitatem, atque in ea latent arcana Philosophiaæ: illa vi-les animos excolit, nōsque ab rerum humilium stu-dio deducit ad egregios mores, ad excellentem ma-gnarum rerum cupiditatem vocat, uno verbo mira-bilem suavitatem præfert, & vocibus aptè instructa oratio miram infundit auribus animisque jucun-ditatem.

8. Addo unum, quod nonnullis fortè mirum vi-debitur, Poëticum studium eo saltē fine adhiberi posse, ut à gravioribus studiis Euphyander ità quan-doque ferietur, ut tamen otiosus, vel male feriatus non sit; nempe inde animus plurimùm relaxatur, unde amæna quadam, & jucunda exercitatione oc-cupatur; quid porro jucundius, & amænius musa-rum cantu? cuius mirifica vi, & suavitate, non ho-mines modò, verū etiam feræ ipsæ capiuntur; imò rupes, & arbores novo tripudio gestire viden-tur; quid inquam acuto Epigrammate, leni ode, flebili, vel potiùs ridente in lacrymis elegia, gravi Poëmate gratius auribus accidere potest? quis de-mum gravioribus studiis defatigatus, ac fessus, ut grave cogitationibus caput recreet, & cogitabun-dum, atque adeò melancholicum animum exhilaret, cum musis tantulum diversari, & canoram pulsare chelyn dedignetur? operæ quoque mercenariæ, & conductæ, cantu aliquo labores suos demulcent, & sudores diluunt; quidni ergo mens operosa, & gra-vioribus studiis fatiscens versibus, & cantu re-creetur?

9. Unum tamen velim, ut pauci potiùs, & boni, quām multi, & mali sint versus; hi numeri, non nu-mero, sed sententiarum pondere, acuminum vi, La-tinitatis flore, verborum delectu, rerum varietate, & novitate censi debent: ità versus versui acci-dat, ità sententia sententiis, verba verbis, syllabæ syllabis congruant, ut nihil durum, nihil mancum, nihil

nihil superfluum, nihil asperum, nihil planè hiulcum, vel putidum sit; Latinitas pura esse debet, verba propria, formula rara, locutio nitida quidem, sed illustris, dociles pedes, mollior fluxus, acumen inexpectatum quidem, sed è re ipsa natum, non verò aliunde per vim extortum: uno verbo quidquid ingenii soluta oratio in longiore verborum plexu & fluxu explicat, & amplificat, hoc ipsum numeris Poëticis adstricta in paucis versibus contrahit; hinc quidquid exquisiti, & eximii in multis paginis soluta orationis inest, hoc ipsum in paucis numeris habemus: hinc apud Poëtas plus doctrinæ, acuminis, eruditionis, & ingenii occurrit, quam apud oratores: nempe id unum potissimum Poëtae procurant, ut nova, ut pulchra, ut inopinata, ut subtilia, & ingeniosa inveniant, & scribant; quod tamen non adeò sollicitos oratores tenet: hinc inventio Poëtis tribui solet.

10. Porrò ut sundere versus Euphyander discat, præter puerilem illam institutionem, quæ est de syllabarum quantitate, & metrorum ratione ac modo, lectio Poëtarum, & usus ad rem hanc valde conducunt: in uno Virgilio, quod admiretur, habebit. Statius, nescio, quid Divinum legentibus inspirat, præsertim si à natura ad artem Poëticam comparati sunt; nascimur enim Poëtae, sumus Oratores; quamquam multum artis, & studii res Poëtica desiderat; Claudianus Tyronibus familiaris est, utpote qui sese in animos facile ingerit; si tamen ii molliores sint: est enim facilis, mollis, suavis, non tamen ejus Latinitas adeò pura est. Ovidius, nisi fortè aliquibi negligentior sit, & incuriosus, is est, quem quis imitari se posse sperat, nemo tamen unquam assequitur. Propertius, Tibullus, Catullus, Latini sunt, & floridi. Horatius in lyricis principem locum tenet. Lucani sententias, & Juvenalis præclarè dicta seliges, styli tamen modum minimè amplecten-

plectēris. In tragicis Seneca divinus est; Terentius, & Plautus in Comicis eximii: si verò ad posteriora tempora descendam, Jovianus Pontanus is est, qui cum antiquis conferri possit: Fracastorium, Sannazarium, Bucananum optimorum Poëtarum locò habeo. Milliæus in Poëmate; Boiræus in elegis; Bidermanus in heroicis, & epigrammate; Magnesius in versione; Casimirus in lyricis, in plerisque Jovianus, Famianus, Guinifius, Stephonius in tragicis: cui succedunt Cauffinus, Celotius, Giatinus, Joseph, Simonis; Masculus in Lyricis, Donatus & Pulcharellus, Mambrunus, de Bussieres, aliisque in Poëmate, strenue profectò se gesserunt.

11. Præter lectionem usum adhibe, idemtidem musis vaca, nec longa, si me audis, saltem initio Poëmata scribes, nisi res aliter postularet, sed breviores quasi sylvas, odas, eclogas, elegias, epigrammata: legi aliquando breves lucubrations, vix centum, imò pauciorum carminum, quas certè longissimis Poëmati præferendas esse putabam; utpote, quæ tanta cura, & diligentia compositæ essent, ut quodlibet metrum suo pretio non careret: in iis pura Latinitas, illustres metaphoræ, rara acumina, numerus elegans, insignis, & dilucida phrasis, nobilis versuum incessus, aut pedum cursus, & fluxus, nova, & felix inventio, res præclaræ, & inauditæ; uno verbo, nihil mancum, nihil superfluum, nihil siccum, nihil puerile, sed lucida, & optima cuncta: in hujusmodi brevioribus Poëmati, cave, ne vel in longas, & superfluas descriptiones excurras, vel stylum Asiaticum adhibeas, vel idem sub varia verborum larva repeatas & multiplices; cave etiam, ne, quod tamen aliqui laudi vertunt, & enixè procurant, nè, inquam, Poëtarum fabulas ad nauseam usque accersas: sunt enim, qui se Poëtas esse non putant, nisi Musarum, Apollinis, Heliconis, Pindi, Parnassi, Pegasi, Castaliæ Limphæ, Pyeridum, Tempe, Penei,

Penei, & fontis Caballini, in singulis ferè versibus, mentionem faciant ; alium profectò loquendi modum hæc ætas desiderat, & probat : nec video, cur res quasque egregias, numeris adstricta oratione, eleganter, & ingeniosè describere, & exponere non possimus, nisi hujusmodi fabellas, quæ rem potius obscurare, ac foedare videntur, accersamus ; quod tamen salvo aliorum Judicio dictum sit.

12. Quod pertinet ad Poësim illam, quæ lingua vernacula adhibet, scio multos ingeniosos adolescentes in hoc scribendi genere, præstantissimos esse ; neque rem hanc Euphyandro minùs dignam esse putarim, quem in qualibet arte ex iis scilicet, quæ optimæ sunt, versatum esse desidero. Poësis vernacula suas veneres, leporésque suos, & sua lumina habet ; nihil eorum, quæ in laude ponuntur, nescire, maxima laude dignum est : & multa in aliis laudari, quæ in te desiderantur, non vitio quidem, & probro vertitur, non nihil tamen verecundiæ, ac pudoris affert : itaque neque hac in re Euphyander prorsus novitus erit, præsertim cùm modico studio, eorumque auctorum lectione, qui in hoc scriptionis genere egregiè se gesserunt, rem hanc obtainere possit ; plures appellare possem, ut Malherbam, Theophilum, Cornelium, le Moine, aliósque bene multos ; sed auctorum indicem non scribo ; adde, quod cùm omnium ferè manibus auctores illi modò terantur, frustra illos hoc loco recenserem.

C A P U T III.

De Rhetorica.

I. **U**T sumnum Oratorem, Euphyandrum agere, ita in hac bene dicendi arte rudem omnino, & peregrinum esse, non desidero ; nec ab eo Latinum dumtaxat, & planum stylum, verùm etiam ornatum, figuratum, & numerosum expecto : perfectum, & absolutum Oratorem vix orbis terrarum habuit ;

habuit; nisi fortè Ciceronem eo loco habeamus, qui sanè in ea facultate, si non supremum apicem attigit, cæteros tamen omnes superavit. Imò si eidem Tullio credimus, perfectus Orator omnibus aliis disciplinis instructus esse debet; habent enim omnes illæ artes, quæ ad humanitatem pertinent, communè quoddam vinculum, & quasi cognatione quadam inter se continentur; nec modò arte, eaque optima informatum esse oportet, sed à natura ità comparatum, ut iis omnibus, tum animi, tuin corporis partibus valeat, quæ ad id muneric rectè obeundi à viris sapientissimis desiderantur: itaque scio, aliquos esse, qui cùm totum vitæ tempus iis studiis tribuant, otiosi tamen non remanent; & cùm totâ vitâ nihil velint aliud agere; habent tamen aliquid, quod agant: ipsa enim rerum tractatio, vel agitatio quotidie ex se aliquid gignit; libet autem semper discere in qualibet arte: hinc Divino penè consilio, vel instinctu factum esse puto, ut nonnulli singulæribus artibus totos se dederint, atque in eis omne vitæ tempus, atque ætates suas consumpserint; hinc enim accidit, ut ea invenerint, quæ aliis deinde in promptu faerunt, & ut alii longioribus laboribus parcerent, diutiū ipsi laborarint.

2. At nolim Euphyandrum meum huic oratoriæ facultati totum se dedere; sunt enim alia, eaque plurima, quibus operam navet; nolo tamen illum hac arte omnino carere, qua nec utilior, nec jucundior, nec præstantior ulla esse videtur; cùm enim de summis etiam rebus perpetuum illi silentium non sit, imò licet æterno silentio sese addixisset, de iisdem scribere, & sua commenta in lucem edere possit; summum revera vitium esset, ornatè & aptè de iisdem loqui non posse, & arte illa egregia carere, qua homines ad ornatè, & aptè dicendum informantur. Et verò cùm hoc in summa laude ponatur, cur eam sibi non compararet, cùm id tam

tam facile obtinere possit; cur hanc sibi gloriam, & decus invideret? cur mores. & vitam ornaret, ut orationem incomptam, incultam, & inornatam relinqueret? res præclaras scire, honestum, & jucundum est; nihil enim animum æquè delectat, ac rerum scientia, præsertim si res illæ præclaræ, & arduæ sint; at res præclaras, quas tu ipse tenes, non nitidè, non præclare, non ornatè scribere, parum certè decorum est: ut vestis, & habitus conditioni personæ congruit, ità & oratio, quæ res ipsas veltit, rebus ipsis dispar esse non debet; præclara scribe, sed præclarè; pulchra, sed pulchrè; ne vili oratione res ipsæ vilescant; nè gemma in luto suum nitorem, & opipara obsonia in folidis vasis suum pretium amittant.

3. Hinc si res ipsæ, quas in lucem autores edunt, quid placeat, quid displiceat, sentire possent; sub eo certè malè suto, & folido verborum habitu in scenam, & publicam lucem adduci, ægerrimè ferrent: ut enim sæpe accidit hominem ex habitu, & cultu corporis censeri; ità non raro evenit, ut res ipsæ, ex ipso verborum, quo scilicet teguntur, apparatu, censeantur; hinc res aliquando communes, & tritas magni facimus, quas scilicet magnificæ dictionis involucrum, & ornamentum illustrat; contrà verb singulares, & selectas contemnimus, quas scilicet, vel dictionum barbaries födavit, vel inculta oratio deformavit: nec tantum rebus ipsis, quæ tractantur fit injuria, sed ipsis quoque auctoribus, quos agrestis, & horridus stylus agrestes, hoc est, ejusdem farinæ homines esse ostendit; sic enim qualis quisque est, talem sermone se prodit. Hinc non raro exterior corporis cultus illius curæ signum, vel argumentum est, quo interiores animi facultates excolimus: hinc si communia singulariter exprimas, aliquam laudem inde referes, majorem tamen referres, si res exquisitas cum exquisita dictione copulares; si bona bene dicis

dicis, bene habet utrumque; si bona, sed male; vel mala, sed bene; in altero tantum: si mala, sed male, in utroque peccas; sed quia, ut ajunt, bonum ex integra causa est, malum vero ex minimo defectu, procurabis, ne vel in re, vel in modo delinquas.

4. Præterea, quid quid foedum est, publicam lucem odit; hinc homines cultis moribus instituti illa coram & palam agere verentur, quæ aliquid sordidum, & minus honestum præferunt; sic dum alium purgamus, secedimus; tegimus sordes nostras; quod vel ab ipsa natura, immo ab ipsis animantibus dicimus, quorum aliquæ fœces egestas pulvere, ac terra obruere solent: igitur si quid in natura, si quid in moribus sordidum, ac impurum est, enixè tegimus, ac dissimulamus; neque nos pudebit, nostræ orationis fæces in publicam lucem edere, & oculis omnium subiçere? quod facis sordidum, tegis; quod dicis foedum, ac impurum, aperis, atque ostentas; quis hoc amabò capiat? sordidæ actionis, non vero sordidæ dictionis te pudet; cultis moribus vis esse, barbarus stylò, & oratione haberi non curas; si quod impurum est in actione, fugis, aut saltem tegis; quod in dictione impurum, ac foedum est, fugiendum, tegendum, & eodem jure suppressandum esset; quidquid enim foedum est, ut dixi, publicam lucem revertatur.

5. Quid sit autem ornatè, & aptè dicere, usus te, atque præcepta docebunt; præcepta leges, apud Rhetoricos; quamquam unus Cicero in suis Reticis affatim ea suppeditabit; librum si sapientius volvas, nativam eloquentiæ Ideam tibi frequens illa lectio imprimet; ibi enim disces, quid decorum, quid vitiosum; quid venustum, quid sordidum; quid liberale, quid agreste censendum sit; ibi disces, unde ducenda sint sententiarum lumina, figurarum varietas, verborum delectus, orationis numeri, dictiōnum dispositio, & plexus, verborum structura; unde

de ornamenta orationi accedant; unde sales condendi, flores aptandi, adornandi lepores; quis, & quantus sit finis oratoris: persuadere scilicet dicendo, aut scribendo; quis scopus, quod officium; hoc est dicere appositi ad persuadendum: quæ munera; docere scilicet; delectare, atque movere; quæ partes, utpote invenire, disponere, & ornare; tria enim hæc oratori videnda sunt, quid, quo quidque loco, & quomodo dicat; & verò nihil est aliud oratoriè dicere, nisi optimis sententiis, verbisque lectissimis dicere; nulla enim est sententia, quæ fructum oratori ferat, nisi aptè exposita sit; nec ullum verborum lumen appetit, nisi diligenter collocatorum; numerus autem utrumque, sententiarum scilicet, & verborum structuram illustrat.

6. Hinc porro ornatus in triplici dicendi genere suum locum habet; in tenui scilicet, ampio, & mediocri. Tenui nescio quem orationis modum complectitur, pressæ scilicet, acutæ, dilucidæ, limatae, non ità numeris adstrictæ, nec periodis circumscriptæ; concinnæ tamen, & elegantis; humilis quidem, & summissæ, sed jucundæ, & subtilis; simplicis, & nudæ, sed honestæ, atque venustæ; quam qui audiunt, quamvis ipsi infantes sint, tamen illo modo se posse dicere confidunt: nam existimanti, imitabilis esse videtur; nihil tamen minus experiensi. Et verò non gratam quandam negligentiam præfert, tum in circuitu, tum in conglutinatione verborum. Porro, ut rectè observat Tullius, illa negligentia diligens esse debet; ut enim, inquit, fœminæ quædam inornatae sunt, quas id ipsum deceat; ità subtilis hæc oratio etiam incompta delectat; licet aliquid in utroque fiat, quo sit venustius; hinc enim omnis insignis ornatus, & calamistri, & sicuti medicamenta candoris, & ruboris removenda sunt; modò elegantia, venustas, munditia pura, & plana, dilucida latinitas remaneant; accedant autem acutæ, & crebræ sen-

sententiae, sed ex abdito erutæ, & quasi è re ipsa natæ; ornatus verecundus fit, translationes tamen, seu metaphoræ paulò audaciùs adhibendæ, modò aptæ sunt, & rem feliciter exprimant; hæc enim unica penè, ac singularis hujus orationis laus est; quod is, qui ea utitur; mentem suam, & sua sensa facile, ac dilucidè, quasi in nativa quadam tabula, vel imagine repræsentet, & in ipsis legentium oculis, & audiendum auribus, vel animis describat.

7. Mediocre dicendi genus paulò ornatius est; numeros adhibet; molliore gressu incedit; illustria accerit orationis lumina, non tamen altius assurgit; nobiles adhibet figuræ, tum sententiarum, quæsitas, & exquisitas venustates, elaboratam concinnitatem, & quoddam delectationis aucupium; nempè hujus orationis singularis ferè character est, venustas, & delectatio; hinc in Epidicticis hic dicendi modus suum locum potissimum habet; in quibus scilicet, non docendi, ac instituendi; non movendi, atque volvendi auditores, sed delectandi sunt, & recreandi: hinc, ut nervorum, & forensis contentionis parum; ita suavitatis, & ornatus plurimum habet; huic enim omnia dicendi ornamenta convenient; figuræ, metaphoræ, acumina, lumina: estque pictum quoddam, & expolitum orationis genus, suis distinctum numeris, & circumscriptum periodis, quod revera omnes verborum, & sententiarum lepores colligit, non tamen sine cauto delectu.

8. Ultimum denique est magnificum, amplum, grave, copiosum, tonans, & fulminans, cuius tanta vis est, ut tractet animos, ac permoveat, huc illuc flectat, obstinatam mentem perfringat, irrepat in sensus, quodlibet persuadeat, lacrymas eliciat, risum, stomachum moveat, omnes in animo motus excitet: hinc non umina orationis adhibet, sed fulmina; non moliores ornatus, sed graviores; non vulgares figuræ, sed illustres; hinc frequens interrogatio

tio, & Apostrophe, non parca ironia, antithesis plurima, supplicatio, repetitio, admiratio, introductio, multiplex suspensio, non rara exclamatio; hic conferta argumentorum tela, crebra sententiarum lumina, seu fulmina; hic faces, stimuli, increpatio, aliisque id generis gravissima, & magnifica ornamenta locum habent: hinc tamen exultat mollior ornatus, qui ad instar muliebris mundi esse videtur; dulcior abest orationis fluxus, & lepos; exulant calamistri, flores, & diligentiore curâ concinnata venustas: nempe hoc dicendi genus stellas, non flosculos habet; virilem Minervæ speciem, non lascivam Venetris formam; non pigmenta, & fucos, sed nervos, vivumque colorem; ornatum caput, non sertis, & rosis, sed inauratâ galeâ, solidioribus gemmis, & adamantibus distinctâ; uno verbo: non molli, & luxato gressu, sed graviore cothurno incedit.

9. Hæc tria sunt dicendi genera, in quæ oratorius omnis ornatus cadit; sed cauta prudentia adhibenda est, ne quid contra decorum fiat: nempe, ut Tullius ait, eloquens erit, qui parva summissè, mediocria temperate, magna graviter dicere, & ad id, quodcumque decebit, poterit accommodare orationem, quæ profectò rebus ipsis par, & æqualis esse debet. Quam enim indecorum esset, & ridiculum, de stillicidiis amplissimis verbis, & magnificè; de majestate populi Romani exiliter, & summissè dicere; in luctu publico, narrare ludicra; in publica laetitia, lugere; in re dubia, exultare; lascivire in seriis; gravitatem affectare in jocis: sic saepe contra decorum peccatur, cuius præsertim legibus orator adstrictus erit. Itaque tria illa dicendi genera oratori serviunt, ut suis officiis defungatur: scilicet ut doceat, delectet, moveat. Primum genus ad docendum aptissimum est; secundum ad delectandum; tertium ad movendum. Hinc primum illud Philosophi est; alterum sophistæ; ultimum oratoris: quam

quam omnia ad oratorem pertinent; imò tria illa ità aliquando conjuncta sunt, ut, dum eadem orator dicit, doceat; delectet simul, & moveat.

10. Porrò licet hæc multam artem postulare videantur, optimam tamen naturam supponunt; & licet fieri oratores dicantur, nasci tamen etiam dici possunt: nempe hæc bene dicendi facultas egregias ingenii, judicii, memorie partes, & dotes desiderat, quas ab ipsa natura dumtaxat accepimus. Non negarim tamen, longo ad id studio opus esse, multaque Philosophia; quis enim de rebus omnibus appositi, & aptè loquatur, nisi res omnes probè teneat, & apprimè sciat? hæc ultrò fateor; hoc tamen unum asseveranter affirmo: virum ingeniosum reliquis disciplinis instructum, & cultum, modò aliquid exercitationis cum multa prudentia conjunctum accedat, modica certè arte indigere ad laudem, & lauream oratoriam obtinendam; nam & res facile inveniet, quas jam ipse scit; & naturā duce, argumenta ex iis locis eruet, quos Rethores tradere solent. Quasi verò arte opus sit, ut res definiatur, & explicetur; ut ex definitione, etymologia, causis, effectis, adjunctis, simili, pari, oppositis, genere, differentia, forma, materia, parte, toto, enumeratione partium, tabulis, testibus, historia, antecedentibus, & consequentibus, argumentum ducatur. Porro licet hi loci communes sint, usus tamen singularis erit: res enim quælibet suos habet proprios, & singulares; & magnam hic locorum usus prudentiam desiderat.

11. Itaque invenire, scientis est, atque Philosophi. Cùm autem ingenio omnibus disciplinis exculto, nihil feracius sit, rerum inventarum magnus delectus adhibendus est; alioquin multa erunt in oratione levia, frigida, à causa, de qua agitur, aliena; & hoc alterum prudentis est: illud ingenii; hoc iudicii. Præterea, non satis est, ea quæ dicas, invenisse,

ac delectum habuisse , nisi eadem recte disponas ; dispositio autem, seu compositio multiplex est : v. g. dictiōnum seu verborum inter se in locutionem ; locutionum in membrum ; membrorum in periodum, &c. Hæc autem verborum , & membrorum dispositio, seu structura parum artis desiderat ; multum ingenii, & Latinitatis ; sed prudentiae plurimum : qua scilicet probè distinguatur, quid benè, quid male sonet ; quid claudum , & mancum ; quid inutile, ac superfluum ; quid longius excurrat ; quid angustias patiatur ; quid demum gratum , vel ingratum auribus accidat : ita enim verba collocanda sunt, ut nullus hiatus, nulla vis ; nihil asperum , nihil vacuum, nihil exuperans esse videatur.

12. Rerum ipsarum compositio multam prudentiam postulat ; ita , ut ex primis media , & ex his postrema, quodammodo nascantur. Exordia, vel initia acuta sint, & illustria , è re ipsa nata , non per vim aliunde accersita ; verecunda, plana, crebris sententiis distincta ; sed sine ornatu exquisito ; uno verbo talia sint , ut orator auditorum animos statim occupet. Narratio brevis, clara , dilucida , familiariter quodam stylo contexta . Confirmatio firma, ingeniosa , varia ; firmissima rationum momenta primo, & postremo loco ponantur. Refutatio sit ingenua, sincera , nihil, quod falsum sit , adversario affingens, suis tamen nervis armata , & honestis condita salibus : in utraque orator strenue se gerat , nervos adhibeat, omnisque generis ornatum , atque adeò orationem omnem suppellestilem : hic multa interrogatio, repetitio, instantia, antithesis, objurgatio, aliaque id genus locum habent.

13. Quod verò ad argumentationem spectat , quis, amabilius, modò in dialectica tyro sit ; illius species non tenet ? quis modum , quis usum ignorat ? De Amplificatione idem dictum esto. Vir doctus , & acri ingenio, nullo ferè negotio orationem explicat,

atque dilatat, quā verbis, quā sententiis, quā variis circumlocutionibus; adjunctis scilicet multis rerum ipsarum appendicibus: illud enim quasi fermentum quoddam est, quod, ubi semel incaluit, res ipfas, vel potius ipsam orationis massam amplificat. Scienti affatim materia suppetit; & ingenioso forma: prudentiā tamen opus est, quae orationem plus æquo lascivientem exundantēmque coērceat; quod reverā incommodum ab iis præsertim fugiendum est, qui inulta sciunt, ac feraciore sunt ingenio. De Peroratione nihil est, quod dicam; in qua profectò vires omnes exerit, & nervos adhibet eloquentia; hic lamentatio, miseratio, planctus, ira, fulmina, rationum congregatio, antè dictorum brevis repetitio, supplicatio, obtestatio, exclamatio, denique magni & vehementes motus desiderantur: hic tamen suus est lenitati locus; mirum quantum vox illa flebilis, & lenis, præsertim si res, & verba consentiant, in auditorum animos altè penetrat; hic etiam Philosophia suas partes agit: cùm fieri non possit, ut illos animi motus excitemus, quorum causas, & ortus ignoramus.

14. Neque hæc meo judicio frustra exposui: nam sæpè accidit, ut Euphyander illud vitæ genus, & institutum amplectatur, cuius sit vel sacras ad populum conciones, vel forenses ad judices habere. Quæ cùm ita sint, eloquentiæ ignarus esse non debet; præsertim cùm eam sibi comparare facile valeat, modò ab ipsa natura, & Philosophia reliquis partibus instructus sit. Non nihil lectionis, & exercitationis adhibere potest: legat Ciceronis Rhetorica, in quibus artem omnem sine arte, & præcepta sine præceptis inveniet; ex hac enim lectione eam sibi formam eloquentiæ in animo finget, quam deinde facile, sine ullis Rethorum præceptis ad proxim reducit; non deerit quoque aliqua exercitatio, qua primum narrare quidpiam, & describere incipiat,

piat; tum deinde breviter ratiocinari, & orationem amplificare; tum demum ornare, & gravioribus co-thurnis incedere possit. Si vero Euphyandi rationes non ferant, ut vel sacrum, vel Forensem oratorem agat; eloquentia tamen inutilis non erit: cum enim à scriptione abstinere nequeat, si ornatè, & eleganter scribat; non modicam inde laudem acces- suram spero. Cæterūm præter unum Ciceronem nullum alium hujus disciplinæ, & oratoriæ artis ma- gistrum accersendum esse existimo: nempe ille vir eloquens esse non potest, cui Cicero vel non sapit, vel non sufficit.

15. Unum denique ad calcem hujus capitis sub-
nectam, quod singulari observatione dignum est;
nempe, non modica oratorum pars hujus temporis
hoc vitio laborare videtur, ut ii scilicet in publicis
concionibus non plenam, planam, vegetam, nervo-
sam, & virilem eloquentiam, sed inanem nescio
quam & exuccam loquacitatem, verbis ad speciem
elegantibus conspicuam, exquisitis locutionum for-
mulis comptam, affectatis & parum appositis figu-
ris ornatam, obtusis ingenii luminibus distinctam,
perpetuâ ferè Apostrophe, Ethologia, prosopopœia
quasi personatam adhibeant. Tota quidem Oratio
satis leniter fluit; periodi currunt lascivientibus pe-
dibus, molliore gressu, & plusquam foemineo incessu;
res verbis serviant, & depravato verba palato; cun-
cta demum præferunt meretriciam quamdam ve-
nuitatem, non virginem decorem; vox ipsa verbis
affectate consentit: uno verbo, non germanos Ora-
tores, sed disertos Psitacos appellarem; utpote qui
cincinnis student & calamistis: nihil in eis roboris
& nervi; nihil veræ & apodicticæ artis, cum ta-
men toti sint in arte; nullus argumentorum, ratio-
num, figurarum, sententiarum delectus; ea sibi pro-
banda proponunt, quæ cum falsissima sint, probari
nequeunt; perpetuò jactant à se demonstratum,

quod ne probabile quidem , aut verisimile ostensum ; stylum suum à quibusdam recentioribus , qui vel Heroicas fabulas , vel quæpiam alia venustè scripserunt , mutuantur , tanta profectò affectatione , ut vel ipsius affectationis personam induisse videantur . Hic stylus in libris quidem , ad relaxandos à gravioribus curis animos , utcumque tolerandus es- set , non tamen in rostris , vel sacris pulpitis ad docendos homines & commovendos : risum tamen interdum potius , quam stomachum movent . Toti sunt in exordiis , quæ singulis quibusque periodis ineptè multiplicant , nec non multiplici orationis suæ distributione ; insignes hic videoas titulos , sine re ; multa dicenda proponunt , nihil dicunt ; multa probanda , nihil probant ; pollicentur ultro se multa conjecturos , nihil conficiunt ; de multis & mirabilibus ratiocinari se velle prædicant , de singulis nihil ; multa dicunt , persuadent nihil ; imò multa bona , nihil bene ; denique loquaculos quidem , garrulos , demus hœc , etiam disertos , & comptos loquutores , ut cum Gellio loquar ; nunquam tamen eloquentes , rostris & pulpito dignos oratores appellabo . Euphyandrum igitur meum monitum velim , ut in Rhetorica sua ab hoc vitio abstineat .

C A P U T IV.

De Geographia.

I. Ndecorum , & turpe est hominem , terrestris hu-
jus globi non modò incolam , verùm etiam
moderatorem , suarum ædium latibula , & varias re-
giones ignorare ; nescire , quo ipse loco vivat ; ubi
majores vixerint ; ubi heroës , ac viri de Republica
bene meriti nati sint ; quas olim sedes Cymbri , &
Teutones tenuerint ; quas Huani , & Sclavi ; quas
Vandali , & Goths ; unde Parthi , & Turcae alias eru-
perint ; unde Tamburlanes cum suis Tartaris ; unde
Bulgari , & Longobardi ; unde Regina Saba Hiero-
lymam

lymam profecta sit; unde tres Magi venerint; quas oras Classis Salomonis peteret; quot Regna magnus Alexander subjugârit; quænam Provinciæ Romanis olim subessent; quænam modò Turcis, quænam Hispanis subjiciantur; uno verbo: turpe est Euphyandrum res præclarè gestas in Europa, Africa, Asia, America, à fortissimis viris, apud historiarum, & annalium scriptores legere; nescire tamen illorum locorum situs, aspectus, confinia, aliisque hujusmodi, quæ ad Geographiam spectant.

2. Quis autem non videt rem Historicam sine Geographica inanem penitus esse; nam perinde est, atque si multos colores, tametsi vivos, ac vegetos, nullo tamen ordine, nullo situ, inter se distinctos, nec variè collocatos aspiceres; aut cæsos, & affabre sculptos, ac elaboratos lapides numerares, quos nulla structura componeret, nullus ordo connecteret, nulla proportio copularet; sic omnino apud historicos multa legis, eaque præclara; sed ea suis locis, ac regionibus minimè distinguis; nempe hic terrestris globus rerum gætarum hactenus, atque gerendarum deinceps ampla scena, & vastum theatrum est; auctores nôsti, & vocem audis, sed theatrum non vides, si haec Geographiæ disciplina in te desideratur; hinc enim multum actoribus dignitatis, multum varietatis actioni, multum denique voluptatis spectatoribus accedit: si non modò quid actum sit, verùm etiam, quo quidque loco actum sit, sciant: quod Geographicò dumtaxat studio haberi potest.

3. Itaque Euphyandrum, quem in historia versatum esse desidero in Geographia rudem esse non patior: præsertim cùm, quod omnes alias optimæ artes facere solent, hoc Geographiæ studium non mediocrem sanè voluptatem secum afferat: quid enim amabb̄ jucundius, quid amænus, vel esse, vel excogitari potest, quām uno ferè obtutu, & intuitu.

totum terrarum orbem, vel in planisphaerio, vel in globo oculis lustrare suis regnis, & Provinciis distinctum, fluminibus irriguum, mari, & Oceano divisum, montibus arduum, villosum sylvis, multiplici planicie apricum: hic magnificæ urbes assurgunt; illuc vastæ ruinae jacent; ibi stagnant paludis aquæ; hic lætum gramen virescit: illic segetes luxuriantur; ibi metallorum fodinæ excavantur; alibi vel æterna bruma rigescit, vel perpetuus æstus ardet: quid plura? digna scitu res est, quam Euphyander nescire non debet, ne præclara disciplina, quæ facile sciri, & obtineri potest, ut paulò post dicam, à nonnullis in eo desideretur.

4. Cæterum facilem hanc artem appello, ut potest quæ nec rerum multitudine discentis animum obruat, nec earundem difficultate, & arduitate terreat: hæc enim duo sunt potissimum, quæ disciplinam aliquam difficilem reddunt; modò tamen aliquid Cosmographiæ, vel demonstrativæ Geographiæ, ut vocare soleo, accedat, cujus forte defectu, Cicero in Geographicis maximam difficultatem sentiebat: de Geographia, inquit, scribens ad Atticum, dabo operam, ut tibi satisfaciam; sed nihil certè polliceor, magnum enim opus est. Imò ex Serapionis Geographi libro, quem ad eum Atticus misserat, millesimam partem vix se intelligere ultro fatur; & hac de re, difficultate territus, etiam, atque etiam deliberandum esse dicit. Nec mirum cuiquam esse debet: nempe iis temporibus res Geographica obscurissima erat, nec autores ipsi conveniebant; hinc Eratosthenes, quem sibi Tullius proposuerat, à Serapione, & ab Hipparco valde reprehenditur: vix antipodes in mentem paucorum venerant; vix de figura orbis etiam inter doctos, & eruditos constabat; hinc longo adhuc post tempore Lactantius, & Augustinus antipodas, chimæras inter, & Hircocervos reponebant; at hisce nostris tempore

temporibus, res aliter se habet, & Geographia longè facilior est, postquam novus orbis, Indiae, Syriæ in nostram cognitionem venerunt, & de re Geographica multi copiosè, & accurate scripsérunt; Ptolomæus, & Strabo inter antiquos palmam tulere; ad nostra tempora propius accedunt Apianus, Ortelius, Gemma, Mercator, Cluverius, Bertius, Philippus, Brietius noster accuratissimè, Leander Albertus, & præ ceteris noster Ricciolus majore, ac justo volume, nonnullique alii, qui, si non integrum Geographiam, aliquam certè illius partem, scilicet topographiam, non sine maxima laude, tum verbis, tum probè delineatis mappis, seu tabulis, explicarunt.

s. Plurimum sanè juverit, quorundam verborum definitionem, & explicationem præmittere, v.g. quid sit illa globi projectio in planum, quid longitudo, quid latitudo, quid meridianus, quid parallelus, quid major orbis, quid minor, quænam circulorum sphærae appellatio, & ratio, quis usus, & situs, quid poli, quid axis; quamquam hæc ab Euphyandro rudi Minerva initio accipienda sunt; alioquin non nihil Mathematicæ adhibendum esset, v.g. ad locorum distantias, verásque mensuras in planisphærio demonstrandas. Et verò duplē Geographiam distinguere soleo, historicam scilicet, & demonstrativam: hæc ultima non modicam Astronomiam, & Geometriam desiderat, de quibus infrà acturus sum; historica longè facilior est, utpote quæ vel ipsis pueris duodennibus familiaris esse queat. Vidi aliquando, nobiles, & ingenuos pueros, cùm in tabulam fortè incidissent, v.g. Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ; leviore virgula, quæ longioris indicis loco esset, illam statim in suas provincias, delineatis scilicet extrema virgula, confiniis distinguebant; & singularum Provinciarum præcipuas urbes, & arces, fluvios, montes, lacus, fodinas, & quidquid alicujus nominis erat, eodem indice designabant; ut vel

inde constet, maximæ facilitatis rem esse, cùm duodennis pueri vires non superet.

6. Itaque initio totum terrarum orbem in globulo, vel in planisphaerio contractum, tibi ante oculos pone, eumque in continentem, & maria primùm divide; tum continentem in Principes partes: scilicet Europam, Asiam, Africam, Americam, & tractum australem incognitum: singulas deinde partes, in sua Regna, & Imperia distingue: v. g. Europam in Insulas Britanicas, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Italiam, Græciam, & reliquum Turcici in Europa Imperii, Hungariam, Poloniam cum Lithuania, Russiæ, & Moscoviae partem, Suecorum, & Danorum Regna, & quidquid versus Polum arcticum excurrit, distribues: videbis, quid Turcæ in Asia, quid Persæ, quid Arabes, quid Indi, quid Syri, quid Iapones, quid Tartari, & Moschi teneant: in Africa, quid Turcæ, quid Nigritæ, quid Cafres, ut vocant, quid Æthiopes, quid Arabes, & Mauri: in America quid Hispani, quid Lusitani, quid Galli, quid Batavi, quid Angli, quid Barbari: Montes, & fluvios Principes observabis: in Europa, Danubium, Boristenem, Rhenum: in Asia, Volgam, Obim, Euphraten, Tigrin, Indum, Gangem: in Africa, Nilum, & Nigrum: in America fluvios Amazonum, Argenti, & sancti Laurentii omnium reverè maximum: habes Alpes in Europa: Taurum, Caucasum, Immaum, in Asia: in Africa Atlantem, & montes Lunæ.

7. Præterea singula Regna in suas provincias divides, designatis rectè confiniis: in singulis Provinciis, urbes, & oppida alicujus nominis iavenies, item fluvios, montes, lacus, fodinas, & quidquid scitu dignum esse putabis. Ut autem facilius prædicta, & oculis illustrata delineatio, seu tabula menti, & animo adhæreat, rem prius paulò negligentius aggredere; tum deinde quasi gradatim ad extremas minutias pervenies: statue commodum Provinciarum ordinem

dinem in Regno , & Civitatum in Provincia. Nonnulli ducto ab extremis initio , per spiram versus Regni centrum , & mediterraneum accedunt ; v. g. ita Hispaniam describunt , ut à Biscaia , seu Cantabria initium ducant : cui deinde succedunt Asturia , Gallæcia , Lusitania , Algabria , Estremadura , Andalusia , Granata , Murcia , Valentia , Catalonia , Arragonia , Castilia vetus , Castilia nova : recentia nomina usurpo , quia antiqua hisce novis Provinciis vix convenient , quare ab his abstinui , ne aliquam Criticis materiam subministrarem : deinde singulas Provincias in suas urbes , fluvios , montes , atque alia hujusmodi distribuunt ; in urbibus considerant Populi frequentiam , antiquitatem , fundatorem , nobilitatem , Clerum , Academias , Temples , Xenodochia , Monasteria , mimenta , commoda , vel incommoda , singulares eventus , longitudinem , latitudinem , Cæli salubris , vel inclemens rationem : &c.

3. Porro in qualibet Provincia , vel Regno plura sunt consideranda , v. g. soli fertilitas , vel sterilitas ; an frumenti ferax , vini , olei , leguminum ; an plana , montosa , sicca , humida , palustris ; an sylvas habeat , fodinas , aquas , animalia ; an frequens incolis , vel exhausta ; an viribus potens ; an dives ; an homines habeat moribus cultos , & liberalibus disciplinis , vel mechanicis artibus instructos ; an viros frugi ; an fraudulentos : an urbanos , humanos ; an feros , crudeles , barbaros : quibus illi virtutibus polleant ; quibus vitiis obnoxii sint ; qua religione , qua indole , quo cultu : quænam sit victus ratio , mensæ , vestimenta , ædium , habitationis , ac reliquæ vitæ ; an armis , an literis præstant ; à quibus ortum ducant : quid ab iis præclarè gestum sit , bellisque , domique ; an varii Populi Regnum illud tenuerint : sic primum Celtæ Hispaniam , tum Pæni , tum Vandali , tum Gothis , tum Mauri , à Gothis demum expulsi , tenuerunt;

nuerunt: quænam sit Reip. forma; hinc Regum, ac Principum series, & tabulæ Genealogicæ; pro his consule mundum Daviti;

9. Neque his contentus eris: est enim aliud, quod scias, v. g. quæ bella prosperè, quæ infelicitè gesta; quantos annuos redditus hic, vel ille, Princeps habeat; quæm magnum exercitum conscribere possit, quot pedites, quot equites parare; quænam sint Regni leges, in re bellica, civili, Principum electione, vel successione, in administranda justitia, in acie instruenda, in arcibus muniendis; quot, & quinam sint Regni ordines; quæ illorum jura, & solennes ritus; quæ vis, & auctoritas Procerum; quis Regii, publici, sanctioris consilii modus; quænam Aulæ ratio; quis virtuti locus, nobilitati, Pietati, doctrinæ; quinam sint amici, & confederati; qui jurati hostes; quæ confinia diligentius munienda; quæ vectigalia, quis exactionum modus, quod pondus; quænam sint ea, quorum Princeps sibi jus vendicat; quæ juris argumenta; quænam obsequia Rex à subditis exigat, quænam officia rependat; quæ comitiorum forma, quis finis, quæ auctoritas, quæ frequentia; denique, ut vides, jejunam, & incultam Geographiam esse nolo, sed multis ornamentis, quæ reverâ illi maximè congrunnt, amplificatam, & auctam.

10. Nonnulla sunt, quæ non exiguum cautio nem postulant: primo quidem loco Geographorum lapsus; quis hoc crederet? etiam diligentissimi facile in errorum cautes impingunt; multis exemplis rem hanc confirmare possem, duo feligo: primum est Cluverii, lib. 5. *introd. Geogr. cap. 9.* qui Goam celeberrimam illam Indianum Urbem in Insula Indi fluvii collocat, cum tamen illa ab indo valde remota sit. Alterum est Gerardi Mercatoris in Atlante, vel Hondii vel Petri Montani, qui, cùm de politico Rcgni Galliæ statu agit, sere initio constanter affirmat, deferendi

ferendi Regni arbitrium penes ordinum comitia semper hactenus fuisse, & etiamnum omni jure esse; quod quam à veritate alienum sit, nemo ferè in Europa ignorat. Præterea dicit, filium Regis demortui annis 24. minorem creari nunquam potuisse; item Regis filios à Populo sæpius repudiatos fuisse; item tres ordines Regni esse, scilicet nobilitatem, populum, vulgus: Ecclesiasticum ordinem excludit; item penes istos adimendi Regni facultatem omnibus temporibus fuisse; hæc ab homine finitimo, & in confini Belgio dici, & scribi, & in lucem edi, adduci nunquam possem, ut crederem; nisi propriis oculis credendum esset; quid quæso in minutis, ac minimis errabit, qui in maximis tam fædè labitur? quid in obscuris, si vel in ipsa meridiana luce caligat, & in media luce luculenter hallucinatur? virum Democratiæ, vel Aristocratiæ addictum, imò, & suspectæ fidei esse, ex iis, quæ contra Reges impunè blaterat, & in laudem Rupellanorum congerit, manifestum est: imò non modicam in hoc eodem compendio ridendi materiam habes, dum hic auctor Ludovicum nonum, divitem cognomine dictum esse assert; nisi forte typorū mendum fuit, ac divum dicere voluit: hinc optandum esset, ut Galli res suas scriberent, nè ab exteris fædarentur.

II. Secundo loco observanda est, vel potius irridenda nonnullorum Geographorum adulatio, qui, ut Regum suorum, vel popularium gratiam captent, patriam in figura, & imagine amplificant, cum rem ipsam augere non possint; & cum veram lucem afferre nequeant, majorem saltem umbram projiciunt: quod quam puerile sit, sapientissimis hominibns considerandum relinquo; omitto putidas laudes, quas Patriæ aspergunt, putidas dico, quia revera putent, licet Authores illos non pudeat Amorem erga Patriam impensè laudo; at si forte imoderatus sit, multa peccat, quæ vitiovertenda sunt. Tertium, quod

observandum est , ad negligentiam Geographorum pertinet , in assignanda locorum latitudine , vel longitudine : quare nolo Euphyandrum ita illorum definitionibus adhaerescere , ut eas pro accuratis accipiat ; quamquam illæ , quæ proximè ad veras accedunt , ita ut vix aliquot minutorum discrimen intercedat , pro veris accipi possunt ; parum enim , hac in re præfertim , pro nihilo computatur . Quartò , ne quidam Geographi eas tibi fabulas persvadeant , quas suis operibus intexuerunt : v. g. de monte magnetico ad polum arcticum , de regione Amazonum , de quatuor Euripis Borealibus , de Pygmeis , &c.

C A P U T V.

De Chronologia.

1. **U**T Historia rerum præteritarum est narratio , & Geographia earundem ad sua tempora reduc[t]io est ; quidquid enim sit alicubi , & aliquando fieri , necesse est . Igitur ad plenam historiæ cognitio[n]em , non modò , quid actum sit , verùm etiam ubi , & quando actum , scire debemus : imò Chronologiâ historiæ non leve ornamentum accedit : nempe h[ist]oria materiam quandam , rerū[m]que gestarum copiam suppeditat ; Chronologia verò formam quamdam inducit , regulam adhibet , ordinem componit , sine quo res illæ confusæ , & incompositæ penitus esse videntur : adde , quod ista singulorum annorum , singulariem , & accuratam rationem instituit , illos suis notis discernit , characteribus depingit , ex certis indiciis affequitur , & illustribus epochis consignat : itaque negari non potest , quin Chronologia h[ist]oriæ corpus rectè componat , & qualiter informet , & res præteritas ea ratione ordiner , qua , & facilius memoriæ mandari , & sine ulla confusione , aut perturbatione exponi possint .

2. Euphyandrum hujus disciplinæ prorsus imperitum esse nolim ; tum quia res scitu digna est , nec minus

minus jucunda, & grata, quam Geographia: tum quia doctrina temporum ad rem historicam plurimum conducit; tum quia, meo saltem iudicio, temporis acti ignarum esse, ingenuum, & ingeniosum adolescentem non decet. Quod autem res scitu digna sit, quis amabò in dubium revocet: si enim præsentia tempora ita cura, & studio nostro digna putamus, ut eorum partes tam variis modis distinguamus, nec fluxu pulveris, vel clepsydræ contenti sumus, nec multiplici delineatione & descriptione, sectionum scilicet Cœlestium orbium, quibus omnibus præstantissima totius Astronomiæ pars Gnomonice famulatur; organa etiam, & rotas denticulatas, multo divites auro, & gemmis graves, ac pretiosum apparatus mechanicum ad eundem finem, temporis scilicet præsentis gratiâ adhibeamus; an fortè præteriorum ratio temporum negligi à nobis potest? an scientia, & cognitio inutilis censeri debet? minimè verò: suum usum habet, eumque præclaram, ut ex iis, quæ mox dicam, perspicuum fiet.

3. Et verò præteriorum annorum fluxus, suis Epochis munitus, suis notis distinctus, suis observationibus varius, ac singularibus rebus gestis illustratus, res est haud dubiè, cui operam suam vir ingeniosus non sine laude, & fructu impendat: imò non modò res scitu digna, & honesta, verùm etiam amoenissima, & jucundissima est: si enim arborum rectè collocatarum ordo in viridario; areolarum, & florum in horto; lapidum in ædibus; librorum in Bibliotheca; laterum, & calculorum in pavimento; domesticæ suppellectilis in abaco vasario suavissimâ voluptate oculos intuentium perfundit: certè non video, cur annorum præteriorum, ac rectè dispositorum series, & rebus gestis accommodatus erdo animos etiam non recreet: tempus enim ab orbe condito fluens in sua sæcula, sua Jubilæa, suas hebdomadas, sua lustra, vel olympiadas rectè divisum,

visum, ad instar majoris cuiusdam fluminis esse videtur, in quo aetates hominum, & res omnes corporeae feruntur; & brevi tandem absorbentur naufragio; sed immortalis hominis animus, uno quasi intuitu longissimum hujus fluminis tractum aspicit, & singula quasi fixis quibusdam punctis affigit. Cogita surgentes arbores in ripa: ita, ut quaelibet temporis acti pars cum iis rebus conjuncta sit, quae cum illa simul extiterunt.

4. Ego sanè non modica voluptate animi perfundor, dum praeteritorum temporum memoriam recolo, ac mecum ipse cogito, quo anno ab orbe condito Troja eversa, Roma constructa sit, olympiades cœperint, aut Nabonassaris æra; Alexander Darium ad Arbellas vicerit, Seleucidæ regnarint, Antiochus cœlesti ulcere correptus sit, Carthago destruta, Romanus exercitus ab Annibale in Cannensi pugna profligatus, Christus Dominus natus, aut mortuus in cruce; quot annis vixerit Julius Cæsar, quo Augustus, quo Titus, quo Trajanus, quo Pius, quo Constantinus, quo Theodosius, quo Carolus Magnus, quo reliqui optimi Imperatores; quo tempore vixerit Aristoteles, quo Tullius, quo Virgilius, quo Plinius, quo Seneca, quo Plutarchus, quo Hypocrates, quo Galenus, quo Archimedes, quo Apollonius Porgeus, quo Ptolomeus, aliique humanarum disciplinarum facile principes; quo Basilius, Nazianzenus, Cyrilli, Clementes, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, Chrysostomus, Bernardus, aliique Ecclesiæ Doctores, & Patres; quo Moyses, Samuel, David, Elias, Isaias, Daniel, aliique sacri vates; quo Arius, Macedonius, Nestorius, Pelagius, Mahometes, aliaque id generis monstræ; denique quamdiu steterit imperium Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, &c. Quamdiu regnarint Vandali, Goths, Longobardi, Maurs, &c. Hæc & alia hujusmodi, hominis ani-

mm præsertim gravioribus studiis exhaustum , & fessum mirificè recreant.

5. Nec est, quod aliquis fortè putet, Chronologiam rem inanem, & inutilem esse, cùm revera potius utilissima , imò, & necessaria censenda sit, tum ad historiam , ut dixi, capessendam , cuius quædam forma, & regula est: quid enim aliud est historia, si Chronologiæ subsidium absit , nisi rudis quædam , indigestaque moles , & confusum quoddam chaos , quod multa certè continet, sed tumultuaria quadam opera in cumulum quasi congeta ; tum ad rem politicam, usumque prudentiæ politicae, cui varia temporum intervalla multa suggерunt, quæ ad rem publicam administrandam non parum conferunt. Frequentes illæ rerum publicarum vicissitudines certis quibusdam annorum periodis continentur ; & vix aliqua in Republica perturbatio, vix ullus tumultus nascitur ; vix ulla mutatio accidit, quam alia ferè similis non præcesserit, cuius vis , & cursus si rectè intelligatur (intelligetur autem Chronologiæ opera, & studio,) nullum dubium est, quin ex prædicta præteriorum temporum scientia , præsentibus incommidis, & periculis occurramus.

6. Sed quid tandem est Chronologia , seu temporum doctrina ? certè vix ullam definitionem postulat, vel explicationem , cùm res per se ipsa clarissima sit: nempe Historia res gestas docet; Chronologia verò annorum seriem tradit, quatenus res singulæ suis temporibus congruunt: ut enim Geographia locorum, ità Chronologia temporum rationes considerat : nempe, ut Chronologi rectè observant, & præ cæteris Petavius noster , qui doctorum iudicio, in hac re , omne tulit punctum , tempus pluribus modis considerari potest : aut enim naturam illius, & iadolem, causas , & principia , proprietates, & affectiones demonstramus , & hoc est instituti Metaphysici : nam Metaphysica rationum universaliū

saliūm attributa demonstrat, quod sanè lib. 9. Metaph. abunde præstīti; aut cum sonis itā conjungimus, ut dispari eorumdem intervallo temperetur, sic autem ad musicam potissimum refertur; aut ut motuum cœlestium mensura est, atque itā ad Astronomiam pertinet; aut in tempore id unum spectamus, quod scilicet ad civilem humani generis usum tractationēmque conformari potest, v. g. in accommodanda rebus gestis præteriorum annorum serie, sic autem ad historiam; vel in observandis variis lunæ aspectibus, & sic ad agriculturam, architectonicam, rem medicam: vel in componendo, cum plenilunio æquinoctio verno, & sic ad calendarium Ecclesiasticum pertinet. Igitur tempus, quatenus ad præfatum usum accommodatur, uberem sanè materiam huic disciplinæ Chronologicæ suppeditat.

7. Multa autem sunt Euphyandro in hac parte discenda, v. g. quæ diversa sit annorum ratio, est enim Tropicus isque dierum 365. hor. 5. minut. ferè 49. Julianus, dierum 365. hor. 6. Bissextilis dierum 366. lunaris dierum 354. hor. 8. min. ferè 49. Ægyptiacus dierum 365. Porro Tropicus dicitur, quod à solstitio, vel æquinoctio, ad idem solstitium, vel æquinoctium Solis revolutionem dicat; Julianus à Julio Cæsare, à quo institutus est, nomen duxit; estque major tropico, 4 ferè min. horæ lunaris dicitur, quia 12. menses lunares synodicos, seu syzygias complestatim; Juliano utimur; Arabes lunari simplici utuntur: hic autem cum solari minimè implicatur. Præterea duplex est ratio mensis, nam aliis est periodicus, qui constat 27. diebus, 7. hor. & aliquot minutis, quo scilicet tempore luna suum orbem conficit; aliis est synodicus, qui constat diebus 29. hor. 12. min. 44. paulò plus, quo tempore Luna Solem denuo assequitur, illique conjungitur; & hic duplex est: Astronomicus scilicet, quem exposui, & Civilis; Civiles autem menses alterni

alterni sunt dierum 30. & 29, quod autem residuum est, intra aliquot annos in diem accrescit, qui cæteris accedit.

8. Præterea, scire debet variorum cyclorum rationem; cyclus autem est certa quædam annorum periodus; primus est cyclus aurens, vel lunæ, annorum 19, cuius auctor Meto fuit; cum enim motum lunæ cum motu solari tum Græci primū, tum deinde Christiani ad Paschalem celebritatem componere deberent, hunc cyclum adhibuerunt, quod eo elapso, neomeniæ in eosdem anni dies recurrerent, quod licet in prima enneadecaëteride succedat, quia tamen annis 19. vertentibus, æquatio motuum utriusque syderis accurata non fit, neque luna ad idem diei punctum revertitur, unde primū erat progressa, sed hora 1. min. 27. paulò plus, pristinam epocham antevertit, non modicus error in canones, seu tabulas noviluniorum inventus est; unde aliqua emendatione opus fuit, ut revera adhibita est à Gregorio 13. Calendarii Romani reformatore: porrò in hac periodo, septem menses intercalares, vel embolismæ erant: alter cyclus solaris est, annorum 28. quo utimur ad literam dominicalem habendam, quique ab anno bissextili exordium sumit, literis G. & F. tum E. D. &c. hoc versu comprehensis.

Gaudet Francus equo,

Dacus cane, Barbarus Ayru.

Cyclus inductionis est 15. annorum, porrò singulis annis sui sunt cycli, vel numeri, v. g. anno 1654. aureus numerus, vel cyclus lunæ est 2. solis 11. inductionis 7. denique Periodus Julianæ est quidam orbis annorum, ex tribus illis cyclis contextus, scilicet 7980. cuius auctor Scaliger fuit; dicta autem Julianæ, quia Julianos annos adhibet; cuius usum apud Chronologos invenies, qui vel in eo fragularis est,

est, quod singulis annis, suam cyclorum conjugationem, quasi singularem Characterem tribuat.

9. Hæc disciplina aliquid Arithmeticæ, & modicum Astronomiæ desiderat; ut scilicet adhibitâ saltem communium regularum praxi, & cyclos cuiuslibet anni invenire, & medios motus Solis, & Lunæ ad calculos reducere possis; additâ deinde, vel detractâ æquatione, ut verus locus habeatur: imò ad rem hanc, medii motus, quamvis non æquati satis esse videntur; nempe supponitur defectio syderum, tali mense, die, & aliquando hora; igitur nec parallaxis curanda est, nec refractio, nec locus verus, qui à medio non procul abest; cùm jam id habeatur, cuius gratia, tot calculi adhibendi essent. Cæterum, ut dicam, quod res est; cùm apud auctores hujus artis Chronologicæ, omnes ferè, quorum vel Historici, vel Astronomi meminerunt, Solis, ac Lunæ defectiones discussas, & ad Calculos redactas habeas, v. g. apud Petavium, tom. I. l. 8. Lansbergium in Thesauro, Ricciolum in novo almagesto, &c, huic labori, & operæ parcere poteris.

10. Præterea dissimulare non possum, quin ubi de longè remotis temporibus agitur, si non fallitatis, saltem dubii suspicio aliqua subesse possit; cùm enim præfixum tempus, & statuta dies iudagetur ex tabulis Astronomicis, illæ profectò tantam fidem facere non possunt, cùm suis erroribus scateant: hinc Ptolomaicæ ab Alphonsinis castigatae sunt; Alphonsinæ à Prutenicis: his autem successerunt Rudolphinæ, Danicæ, Frisiæ, Lansbergianæ, Parisinæ, quæ certè, licet aliquot sæculis longè à vero non absint, si tamen illarum usus ad antiquissima illa tempora traducatur, quo eventu id fiat, affirmare non possum; non negarim tamen, rem succedere pro votis posse, quantum scilicet res Chronologica postulat: modò scilicet Solis, vel Lunæ aliquot defectiones supponantur; dico aliquot: nam unica

vix sufficit, ut res certò definiri queat; eodem quippe die, post aliquot annorum revolutiones, altera defectio accidere potest: quia tamen aliunde habemus quæ sitam diem tam vastis, laxisque terminis minimè contineri; haud dubiè, licet eodem mensis die diversis scilicet annis defectio contingat, facile inde unum diem ab alio discernimus.

II. Itaque hujus artis principia ad certas classes reduci possunt. Primo loco est Historicorum fides: sic Tucidydes afferit primo belli Peloponnesiaci anno, sole in defecisse post meridiem: item octavo, itemque ultimo ex Xenophonte; Lunam verò decimo nono: sic Curtius, Plinius, Plutarchus scripserunt, ante Darii cladem ad Arbellas, Lunarem defensionem accidisse, 20. Septemb. hora 2. noctis, &c. Secundum locum obtinent quædam postulata, v. g. æram Christianam abhinc anno millesimo, sexcentesimo, quinquagesimo quarto cœpisse: in hunc annum tales cyclos cadere, seu talem Cyclorum conjugationem, ac proinde talem annum esse periodi Julianæ: tertium locum cedo levi saltē tincturæ Arithmeticæ, & Astronomiæ: nec enim Chronologum istorum disciplinarum rudem omnino esse oportet: quarto loco subiecto illustriores aliquot Epochas, de quibus periti omnes inter se conveniunt: v. g. primum annum Iphiti, qui est 3938. period Jul. ann. 1. urbis, 3961. vel 62. æram Nabonassari, 26. Febr. ann. 3967. Imperium Cyri, ann. 4154. vel 55. Alexандri victoriam ad Arbellas, ann. 4382. Seleucidarum æræ initium ann. 4402. Cladem Persei, ann. 4546. æram Christianam ann. 4714. mortem Augusti, ann. Christianæ æræ 14. æram Diocletiani ann. 284. Nicænam synodum ann. 325. mortem Constantini, ann. 337. Imperium Valentiniani ann. 364. Hegiræ initium, 16. Jul. ann. 622. hæ sunt Epochæ: quas Ephyander adhibere poterit tamquam certas regulas ad rem Chronologicam obtinendam, atque connectendam.

12. Auctores pro hac re non desunt: sed inter ceteros Petavius noster eminet, qui rem hanc Chronologicam copiosissimè, & doctissimè duobus tomis de doctrina temporum exposuit, tum in uranologia, tum in secunda parte Rationarii: tum in eo libello clarissimè, quem lydium lapidem Chronologicum inscripsit: porro quis illius verbis stare velis, Arithmetica, & Astronomia saltem mediocriter instructus, ad illum accedes: adde si vis alios, ut Genebrardum, Gordonum, Salianum: quamquam hi historicè dumtaxat procedunt; adde alios, quos habes in uranologia Petavii: adde Stoeferum, Campanum, Paulum Pitacum, Clavium in calendario, Paulum Middelburgensem, Josephum Scaligerum, in libris de emendatione temporum, sed emendatum: adde Vitam pro calendario, & Guldinum. Porro ut rudem in his Euphyandrum esse non patior, ita non præscribo, ut sese totum calculis Astronomicis dedat; is sit, qui ubi res feret, arte illa uti posse, & si res etiam postulat, paulo altius in ejus arcana penetrare, & difficultates discutere: porrò ad suos usus breve sibi compendium annorum ab orbe condito conficiat: hac tamen methodo, ut non ab obscuris illis initiis incipiat; sed à nostris temporibus, quae clara sunt, versus mundi, & temporum ortum ascendat.

C A P U T VI.

De Historia.

1. **H**istoria est res gesta, sed ab ætatis nostræ memoria remota; vel potius facultas, & disciplina, quæ res olim gestas complectitur, & ab heroicæ fabula, quam nos vulgo *Romans* appellamus, in eo potissimum discrepat, quod historia res veras prosequatur; hinc fabula lectoris animum non minùs quam historia recreat, præsertim cum ficta licet verisimilitudine hominis animus potius, quam non verisimili veritate capiatur. Porro historia, cuius sta-

dio Tullius ardebat, & cui totum se dabant, eodem
Tullio teste, fidelis temporum testis est, lux verita-
tis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetulata-
ris, ad quam scribendam Atticus Ciceronem im-
pensè hortabatur, quo scilicet illam tractante, effici
posset, ut in hoc etiam genere Græciæ Roma non
cederet: addebat autem Ciceronem non solum eo-
rum studiis, qui literis delectantur, sed etiam Patriæ
debere hoc munus, ut ea, quæ salva per eum esset,
per eumdem esset ornata; tunc enim historia lite-
ris Romanis aberat: non dum Sallustius, nondum
Livius, nondum Tacitus, nondum alii politioris li-
teraturæ homines sua historiarum monumenta in-
ducem ediderant: Unus Cæsar rerum suarum Com-
mentarios scripsérat, qui, ut apud Tullium Brutus
asserit, nudi sunt, recti, & venusti, omni ornatu
orationis, tanquam veste, detracto; sed dum voluit
alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scri-
bere historiam; ineptis gratum fortasse fecit, qui vo-
lunt illa calamistris inurere; sanos quidem homines
à scribendo deterruit: nihil enim est in historia,
pura, & illustri brevitate dulcissimus, nihil forte ad
imitandum difficilius.

2. Et verò initio historiam scribere, summi
oratoris non erat; hoc unum dumtaxat desideraba-
tur, non esse mendacem; cum nihil aliud historia
esset, nisi annalium confessio, ut apud Tullium te-
statur Antonius: nempe Pontificis maximi erat res
omnes singulorum Annorum literis mandare, & in
album referre, sine ulla ornamentis, & orationis
fuco; hinc prisci illi, tum apud Romanos, tum
apud Græcos historici unam dicendi laudem, dum
alii intelligerent, quod ipsi dicebant, brevitatem
esse putarunt; sed deinde historia multum sese ere-
xit, majorēmque vocis sonum adhibuit; nempe in
ea & narratur ornata; & Regio sāpe, aut pugna de-
scribitur; interponuntur etiam conciones, & horta-
tiones;

tiones; sed in his pressa quædam, & dilucida, non
vehemens, & acris oratio expetitur. Herodotus,
Tullio teste, princeps hoc genus ornavit, magna
certè vir eloquentia; Thucydides deinde omnes hi-
storicos, qui eum præcesserant, dicendi artificio vi-
cit: ità creber rerum frequentiâ, ut verborum pro-
pè numerum sententiarum numero consequatur;
ità verbis aptus, & pressus, ut nescias, utrùm res
oratione, an verba sententiis illustrentur; de aliis
dicam paulò pòst. Itaque paulatim adolevit historia
his tamen fundamentis, quæ omnibus nota sunt, ne
quid falsi dicere audeat, & hæc prima lex est; ne
quid veri supprimere, quod secundæ legis loco est;
tertiæ verò, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne
qua simultatis. Porro his fundamentis jactis, ipsa
exædificatio in rebus, & verbis posita est: rerum ra-
tio ordinem temporum desiderat, ut supra dixi, &
Regionum descriptionem: in rebus magnis consilia
primum, deinde acta, postea eventus expectantur;
de consiliis significari debet, qnid scriptor probet; & in
rebus gestis declarari, non solum, quid actum, aut di-
ctum sit, sed etiam quomodo, & quo eventu, dicatur:
causæ explicitur omnes, vel casûs, vel sapientiæ, vel
temeritatis: verborum autem ratio, genus orationis
susum, atque tractum, si Tullio credimus; vel quod
ego præfero, pressum, & strictum, sed cum lenita-
te conjunctum, sine asperitate, & forensi tumultu,
non tamen sine crebris sententiis, & gravibus dictis
desiderat.

3. Quantum autem historia delectet, vix dici
potest: illam solemus persequi, usque ad extremum;
prætermissa repetimus, inchoata prosequimur; quis
enim historiam cum voluptate non legat, cui multa
utilitas conjuncta est? cùm etiam fictas fabulas, è
quibus utilitas nulla duci potest, non sine voluptate
legamus; imò vel indocti opifices historiâ delectan-
tur, & res gestas legere, vel audire cupiunt; ipsi pu-
cri

erit fabulis recreantur; sed præsertim nobiliores quædam foeminæ, quibus per otium domesticum licet, legendis historiis suavissimè incumbunt, eásque felici memoriæ mandant; ut vel inde severiores quosdam scholasticos pudeat, qui hujus disciplinæ, & facultatis ignari sunt, & regnorum ortus, progressus, & fines penitus ignorant: at nescire, ut Tullius monet, quid antequam natus sis, acciderit, id est semper puerum esse; aliquid minus dici posset, cùm ipsi pueri fabulosis etiam historiis delectentur: si enim voluptas est, quam magnarum, & variarum rerum aspectus animis nostris infundit; nulla pulchrior species, nulla gratior, nulla prorsus historia jucundior: in qua scilicet, vides, ut in tabulâ pictâ stratagemata, artes, insidias, spem potiundi, amittendi metum, cæsos exercitus, urbes captas, imperia deleta, aliisque id genus: quæ dum nos legimus, haurit animus voluptatem incredibilem; nec satiatur, donec ad exitum pervenerit. Quomodo enim præstantissimi illi Imperatores, Cyrus, Pyrrhus, Alexander, Themistocles, Epaminondas, Cæsares, Constantini, Caroli, cùm eorum facta commemorantur, animos nostros afficiunt, expectatione suspendunt, gaudio perfundunt, corripunt metu; in Græca, in Romana, in universa historia, quæ, & bellorum magnitudine, & rerum, ac fortunæ varietatem uberrimam exemplorum, in omni genere copiam suppeditat.

4. Pæterea non jucunda modò historia, sed etiam honesta, & ingenioso adolescente dignissima res est: nempe res gestæ narrantur inter summos Reges, potentissimas Civitates, bellicosissimas nationes. Causæ porro bellorum sunt, quæ sunt humanarum rerum maximæ: imperium, salus, gloria; quæ ponuntur in armis omnia, & à consilio ducum, à virtute militum, ab ipsa fortuna, & casu pendent. Quid amabò, majorem dignitatem præfert? Si autem sermonibus delectamur; ii libri, quibus historia con-

signata est, nobis suppetunt, in quibus nihil temere nihil incompositè narratur, sed omnia graviter, & suo quidqne ordine, & loco. Si consuetudine clarorum virorum; versamur, inquit Manutius, dum historiam tractamus, cum Regibus, cum Principibus viris, magnis in bello Ducibus, sapientissimis rerum publicarum magistratibus: vultus ipsos, & linea-
ta tum corporis, tum animi, eorum, quos nunquam vidimus, quasi præsentes intuemur; res ipsæ vel aspectu nostro reviviscunt, cùm in nostram memoriam revocantur, quæque multorum annorum spatio, multis abhinc annis gesta sunt, ea nos exiguo volume comprehensa, tanquam in conspectu nostro posita cognoscimus: inde autem aliquo modo immortales, & omnium sacerdorum homines evadimus; præterita tempora præsentia reddimus; res sepultas in lucem reducimus; homines vita functos in vitam nostræ memoriae revocamus, omnium consiliorum, & arcanorum participes; res omnes sacras, & profana tractamus, & supremo quasi jure de omnibus judicium ferre possumus; illius fortitudinem laudamus; hujus temeritatem vituperamus; damnamus alterius verecundiam; hinc accusamus vitia, inde virtutes probamus, sceleratorum fortunam ægrè ferimus, bonorum infortunia deploramus: uno verbo, omnes præteriorum temporum actores suas in scena partes agunt; nos spectatores sedemus.

5. Quid verò, & quantum inde utilitatis referre possimus, adeò perspicuum est, ut omnem proptermodum fidem superet; hinc qui magistram vitæ dixit esse Historiam, & dixisse verè, & præclarè sensisse mihi videri solet: facile enim unus homo, ut non nemo ait, quid multis hominibus evenerit, cùm intelligit, eruditur; ac inter errores, & pericula, quæ sunt ejusdem generis, rectum filum, & normam actionum, & vitæ componit. Nec aliud est prudensia, quam eventuum observatio, rerumque præsentium;

seatum, ac futurarum ex præteritis complexio; præfertim si quis Historiam ita tractet, ut, dum eventa notat, animum ad causas referat, rationem quærat: cur hoc factum; illud omissum? cur hæc pro votis, illæ verò contra spem successerint. Porro usus maximè rerum quæritur prudentia: usus autem est, vel cùm ipsi experimur, vel cùm aliorum periculo, quid eveneit, observamus, nostris periculis parcere possumus; commodiūs ergo, ac tutiūs, eventis aliorum examinandis, prudentia comparatur. Quod certè historiæ proprium bonum est: in qua ante oculos habemus variæ fortunæ vicissitudines, Regnorum mutationes, virtutes hominum, & vitia, ex quibus, quæ vitanda nobis, quæ sint expertenda, nullō nostro periculo, nullō labore, sedentes in otio ita docemur, ut malorum, & calamitatum origine perspectâ, nihil agamus, nisi quod ratio præscribit, omniaque nostra consilia, omnes actiones, veterum exemplorum regulâ metiamur. Igitur ex hac facultate civilis prudentiæ disciplina petitur, dum ex alienis exemplis, & casibus, quid in suis, quid in publicis agendum, vitandumque sit, homines discunt, & ex assidua rerum humanarum vicissitudine, quam illic habent, & Imperiorum, & Civitatum occasu, ea parvi facere consvescunt, & modum adhibere cupiditatibus suis, & ad veram, constantemque gloriam, quæ ex una virtute nascitur, consilia, & animum suum transferre.

6. Sed ut Euphyander meus majore cum fructu hanc legendæ Historiæ provinciam suscipiat, nonnulla jam diu à me considerata capita mox illi exposnam, ne vanus duntaxat laudator, & inanis hortator esse videar, cùm tamen dirigentis, & instituentis vices etiam hic agam. Itaque Historia res gestas hominum complectitur, quanquam etiam ab aliis causæ gestæ narrantur; igitur res, & personas considerat. In rebus gestis multa consideranda occur-

runt: causæ scilicet, loca, tempora, modus, ratio, instrumentum, locorum notitiam Geographiæ; temporum verò Chronologiæ concedimus. Inter causas, efficiens, finis, materia, & forma numerantur, quas certè nisi auctor, vel historicus exponat, aliunde indagandæ sunt. Et verò in rebus gestis, princeps causa diligenter investiganda est, quæ, ut plurimùm latet: nam per alias agit, quæ cùm reverà ministra sint, & vicariæ; præcipue tamen nonnullis esse videntur, qui rem altius non penetrant.

7. Historiæ mediocris saltem, ut jam supra monui, locorum, ac temporum scientia præmittenda est, quæ brevem, tum annorum seriem, certis imperiorum periodis comprehensam, tum locorum descriptionem, certis mapparum, & tabularum iconographiis delineatam, complectatur. Et verò cùm id omne, quod sit, aliquo tempore, & loco fiat; quid mirum, si distincta temporum, locorumque ratione distinctum etiam rerum gestarum ordinem afferat: hic autem ordo in qualibet disciplina principem locum obtinere debet: qui reverà si absit, nihil nisi confusum, & perturbatum, nihil distinctum, & compositum erit. Quod quām ab historia alienum sit, nemo est, cui perspectum non sit: illa enim res gestas ante oculos ponit, & memoriæ imprimit: si autem memoria est; ordo est, utpote cui rerum imagines, & simulacra ordinatim imprimitur.

8. Quisquis historiam eo fine legit, ut eam sibi familiarem faciat, hoc est ipsius historiæ gratiâ (sunt enim, qui omne aliud in historia, præter historiam quærunt) nullam styli, vel orationis, dictionisque, nullam verborum, ornatorumque dicendi rationem habere debet, sed uni duntaxat historiae vacare, & incumbere; ne divisa, & distracta cogitatio animum distrahat, atque dividat, nec totum animum huic disciplinæ, sed aliquam tantum, eamque modicam illius partem applicet. Id autem præfertim,

ac potissimum curet, necesse est, ut omnes illius historiæ, quam aggreditur, partes in unum quasi corpus colligat, in quo prima cum mediis, & hæc cum extremis aptè convenientant; unde illa fibula, ille nexus, filum illud, vel aliud quidpiam id genus adhibendum est; cuius operâ, omnes illæ partes copulentur, & in doctam quasi catenam eant: sic enim res ordinatæ, atque connexæ non modò memoriæ tenaciùs hærent, verùm etiam mutuam quandam sibi invicem operam impendunt, & unius cognitio in cognitionem alterius facile dedit.

9. Maximâ mentis contentione Historiæ lectio non indiget, nec maximum ingenii nisum, vel ausum postulare videtur; sed methodum, & aliquod memoriae artificium, quod vel in nonnullis signis in schedula adnotatishaberi potest. Si qua tamen sunt majoris momenti; illa paulò altiùs animo inculcanda sunt, & apud illos autores legenda, qui ea ex professo tractarunt. Et verò nisi cursim historicos legamus, totum, aut saltem potissimum ætatis, & vitæ tempus iis tribuendum esset, non sine maximo graviorum disciplinarum detimento: res enim facilis est, quæ tantam studii, ac laboris vim non desiderat; præsertim ab Euphyandro, qui & ingenio valet, & aliis disciplinis instructus ad historiam accedit, & præceteris Geographiâ, & Chronologiâ, quarum operâ, facilem tramitem sibi faciet, cuius ductu facilis ingressus, facilior deinde progressus, facillimus denique exitus consequetur: hinc paucis diebus, ingentes historiarum tomos devorare poterit: nec enim ab illo expecto, ut sparsas colligat, mandetque memoriae sententias; alium quippe finem sibi proponere debet, cùm ad legendos historicos sese accingit; sed de his infrà.

10. In Historico multa notanda, & censenda sunt: fides scilicet, animus, finis, scopus, ætas, gens, indoles, ingenium, tempus, temporumque

ratio, diligentia, opes, scriptionis Causæ, affectus Mecænates, acceptæ injuriæ, præmia relata. Fidem luculenta mendacia valde labefactant; quem enim minimè incautum impunè mentiri video; talem esse puto, cui etiam vera scribenti fides jure, ac merito negetur. Finis, scopus, animus indagari potest ratiocinio, perpenas videlicet iis, quæ sæpius inculcat singere quidem, & dissimulare potest; ignis tamen qui latet intus, aliquid saltem sumi, & odoris foras emittit. Ætas etiam suum pondus habet; si gravis, & matura: juniores facilius fallunt, & falluntur. Ingenium latere nescit; lumen est, quod statim se prodit. Gentis etiam ratio habenda est: sunt enim aliquæ Nationes, quæ & aliis parum & quæ sunt, & nimium sibi arrogant, & altius de se sentiunt; aliæ nimis credulæ, & simplices; aliæ astutæ, & cautæ; aliæ superstitionæ. Indoles in ipsis verbis depingitur. Temporum ratio non parui momenti est; nec enim quælibet scribere, quodlibet tempus permittit. Diligentiam opus ipsum probat; opes prævius apparatus. Scriptionis causam invenire, summum caput est. Affectus & Mecænates quælibet syllaba ferè appellat; si munera auctor accepit, vel expectavit, nihil nisi laudes; si injurias, nihil nisi convictio, & calumnias respondet. Et verò ubi laudari aliquem ab auctore observes, aut vituperari; maxima diligentia adhibenda est, ut scias, quam cum eo habitudinem auctor habeat: quam ubi perspexeris; unde laus illa; aut vituperatio profecta sit, illico perspicies. Illud præfertim vitæ institutum, quod amplexus est, considerari debet: si enim v.g. Jesuitam homo hæreticus, vel Atheus probris, & convictiis prosequatur, nemini certè mirum accidet: quis enim hujus adversus illum, odium ignorat? Itaque multa multis non credimus, quod scilicet ex iis fontibus procedant, quos pravus affectus scribentis infecit; & illi omnino cæteris præferendi sunt, qui veri duntaxat amore duncuntur;

tur: qui nec plus æquo amicis addicti sunt, nec hostibus iniqui; quibus omnis virtus, etiam in hoste probatur.

11. Sunt qui sententiis illis politicis historiæ pas-
sim aspersis mirificè delectantur; sed profectò ad ali-
um finem referendæ sunt: nam ut valde ad politicam,
ità parum ad historiæ cognitionem pertinent: adde
quod meræ sunt historicorum suspiciones, & mera
figmenta, præsertim ubi in abditas hominum men-
tes altius penetrasse, & arcana consilia aperniſſe vi-
dentur. Quisque sibi consulere potest, & ad suos mo-
res rectè formandos, historiam adhibere; sed suo
quisque marte id præstet, non verò historici: nam
crebriora lumina, & elaboratam studiosius orationem,
nimiāque exultam elegantia, prudentium aures non
modò in annalibus, & commentariis, verū in hi-
storia quoque respuunt. Sed ut ad suspiciones illas hi-
storicorum redeam; mirari satis non possum, quām
frequentes sint apud nonnullos, qui vel inde sagaci-
tatis gloriam, & laudem captare videntur; quām au-
dacia sua somnia proferant, perinde, atque si ora-
cula essent; sed dum ita temerè divinant, ut vel in-
de divini esse videantur, humani aliquid patiuntur;
sommiantes Poëtæ potius, quām veridici historici e-
vadunt, & libros de divinatione potius, quām de
historia scribere videntur. Et verò ridiculum est, af-
fingere Augusto eas cogitationes, quæ nunquam in-
mentem illi venerunt; imponere Constantino ea con-
silia, de quibus ne quidem unquam cogitavit; Ca-
rolo magno illum animum tribuere, quem nunquam
habuit, eásque Henrico magno expeditiones, quas
nunquam suscipere decreverat, adscribere.

12. Quæ historicus de suo addit, præsertim si
recentior est, modicam fidem faciunt: sine teste ni-
hil volo tale: imò qui ex manuscriptis, literis, &
scriniis Principum, seu optimatum rerum illarum
copiam hauriunt, ex quibus s̄os deinde historia-

rum libros componunt, non adeò integræ fidei censendi sunt, ut pro oraculis habeantur: nam multa saepe adulatio scrinia Principum occupat; multa fraudis irrexit; multa falsa pro veris jactantur. Si quis tamen utriusque partis manuscripta haberet, & nullo ipse præoccupationis vitio laboraret, nec ab ullis partibus staret; vix majorem in historico, qui res à se scriptas non vidit, diligentiam, rerumque certitudinem desiderarem,

13. Argumentum negativum contra historicos firmum aliquando, alias vero satis infirmum est: licet enim nullus auctor rem illam, de qua agitur, eo tempore literis mandarit, quo illa gesta est; si tamen aliqua traditio fuit, non leve est fidei, ac veritatis indicium, & argumentum. Et vero cum aliquis auctor, vir alioquin prudens, & diligens, integersimæ fidei, & vitae, non nihil afferit, quod tamen nemmo ante illum scripsit, ex iis scilicet, quorum opera ad nos pervenerunt; non levis certè credendi ratio est, vel aliquam tunc temporis traditionem fuisse, quam deinde tempus extinxit; vel aliquem auctorem illud ipsum literis mandasse, cuius tamen opera casu aliquo periere; quis enim nescit infinitam serè librorum vim, temporum injuriā, præsertim cum Typographiā ætas illa careret, æterna oblivione sepultam esse: si vero præfatus auctor in plerisque aliis errasse visus est, vix hoc, quod sine teste adstruit, aliquam meretur fidem: quisquis tamen hisce nostris temporibus aliquid tale scribebat, ut spurius auctor rejiciendus esset.

14. Si quando historici omnes aliqua in re conveniunt, vix illa in dubium revocari potest; nisi tamen ille, qui primus omnium eam literis mandavit, suspectæ fidei homo esset; cum facile fieri potuerit, ut omnes ab illo deinde acceperint. Prætereat si rem illam talem esse contingat, ut historicus prorsus indiferens sit, v. g. quod tali anno, & die, luna solito deliquio

deliquio defecerit, vel marinus æstus præscriptos limites transcendenterit; quod flumina supra modum exundarint, vel terra solitis motibus concussa sit, aliisque id genus, quorum studio historicus teneri non potest; si res, inquam, hujusmodi est, non est sanè, quod jure aliquis illam adstruenti fidem detrectaret: ubi autem plures auctores dissentient, omnis assensus sustinendus est, nisi prius circumstantiae omnes eā, quā par est, diligentia, & solertia, discutiantur, quas ego *supra num. 10.* appellavi. Illa demum pars, cui communis traditio accedit, longè tutior est, & majorem meretur fidem: communem porro traditionem dixi, non singularem gentis, & nationis alicujus: nam *Populus* multas fabulas unius traditionis nomine accersit, & historiæ admiscet.

15. Totius historiæ corpus res gestæ, ac personæ, cum adjunctis appendicibus, componunt. Rerum delectus, connexio, analogia; Personarum actas, conditio, mores, indeoles, expeditiones, aliisque hujusmodi ab historicis censentur. Hujus corporis anima ipsa veritas est; finis lectoris eruditio, & institutio: nempe historia vitæ magistra est, & altera prudentiæ regula. Porro inter hujus corporis partes unam principem, & primariam esse oportet; tale est in corpore caput: v. g. in historia rerum Gallicarum, Regum series; in historia verò Ecclesiastica summorum Pontificum vita Principem locum tenet; huic autem principi parti ita aliæ accedunt, & subjiciuntur, ut suam quasi vitam, splendorēmque suum ab ea accipient.

16. Si quid autem uni historiæ, ex alia admiscetur (multa enim est rerum, Regnorūque connexio) id sobrie, & leviore quasi digito delibandum est: sic multæ rerum Hispanicarum, Gallicarum historiæ admiscentur: lector hujusmodi accessiones negligere debet, aut saltem modicum iis adhærescere, ne sua cum alienis confundat. Quod autem ad nonnullas

historias, miscellaneas, & promiscuas attinet, ego il-
las pro confusa rerum congestarum, indigestarumque
farragine, non pro veris historiis habendas esse ju-
dico: quod verò ad historiam universalem pertinet;
singularis quælibet suas in ea partes obtineat, eoque
loco sit, quem recta ratio rerumque magnitudo po-
stulant: hinc si quis in universa illa historia, singu-
larem alicujus civitatis, vel modicæ regionis histo-
riam, historiæ potentissimi Regni, & amplissimi Im-
perii anteponeret; is revera esset, in quo prudentiam
desiderarem. Nonnulli eo ducuntur affectu, ut Ter-
system Achilli, Pygmæum Herculi, fungum unius no-
ctis annosæ querui conferre, ac comparare non
vereantur.

17. In Historia quædam episodia sumopere pro-
bo, in quibus scilicet, non res propriæ, sed alienæ de-
scribantur, atque narrantur; hæc enim ni fallor Nar-
rationis ratio rerum perturbationem prohibet, lecto-
risque tedium plurimum levat. Nec est, quod ali-
quis putet, Episodium fictionem esse, cum tamen ab
omni fictione historia prorsus aliena sit: una dunta-
xat licentia scribendi opus est, ut fieri folet in iis
concionibus, quas historici viris principibus, aliisque
Imperatoribus adscribunt. Porrò quām bene Episo-
dium in historiam cadat, vel ex iis fabulis heroicis
perspicuum est, vulgo *Romans*, quas nonnulli Recen-
tores cum summa laude, & arte in lucem edidēre, in
quibus Episodia suum cum titore locum obtinent.

18. Nonnulla sunt in historia leviter perstringen-
da, & vix extremo digito indicanda: ùz sunt pervi
momenti res; alia verò majoris momenti majore
cura, studio, & diligentia pertractanda sunt; nec hi-
storiæ moles annorum cursu æstimanda est: nec enim
singuli anni æqualem rerum gestarum copiam sup-
peditant; imò aliqui steriles ita sunt, ut vix aliquid
habeant, quod, historia dignum sit. Hinc historicum
illum castigabis, qui in historia scribenda, ita se gessit,
ut

ut singulis annis, singulos historiæ suæ libros, æqualis molis, indiscriminatim tribuerit; quod sanè fieri non potuit, cum eo rerum delectu, quem historia postulabat.

19. Ad certa quædam capita ea reduces, quæ ex historia feligis, v. g. in historia rerum Gallicarum, in primo capite, seriem annorum Principis collocabis; in secundo bella, pugnas, victorias, jacturas, & lucra repones; tertium Principes viros, & Regni proceres, & res ab iis præclarè gestas, item eximios quosque in qualibet arte continebit; quartum locum singulares eventus, præclara opera, & arte facta, rara senatus consulta, regia decreta, egregii libri in lucem editi obtinebunt.

20. Ut nomina menti tenaciùs adhæreant, in album ordine quasi alphabetico referenda sunt, & ea sæpe, ac sæpius legenda; quod sanè temporis ferè momento fieri potest: mirum quantum hæc industria, quantulacumque sit, ad ea menti alitiùs imprimenta juvet, & conferat: quanquam longè major diligentia in rebus, quam in nominibus memoriæ mandandis, adhibenda est.

21. Historici fides ex multis capitibus haberi, & probari potest. 1. si invidiam aliquam præ se ferat, & alterius, vel scriptoris, vel nationis gloriam ægrè ferat; 2. si studio principibus, & optimatibus gratificandi ducatur, & foedæ assentationis vitio laboret. 3. Si præmii spe, quod hujusmodi hominibus satis familiare est, ad scribendum sese accinxit. 4. Si à Principe, vel alio quopiam ex proceribus, ad scribendum inductus est; 5. Si multas opes cumulavit, atque congregavit; 6. Ex ipso stylo fidem historici probabis; sunt enim qui panegyricos potius quam historias scribunt, & student potius sententiarum acuminis, quam veritati; 7. Si aliquot exemplis fidem suam foedavit; 8. ut extraneum non defidero, qui res nostras scribat, ita nec valde probbo ex nostris

quempiam, res sui temporis scribere, 9. Affectus historici observandus est: aliqui enim odio flagrant, alii metuunt; hic invidet, ille sperat: uno verbo vindendum est, ne cupiditas scriptoris aliquam scriptio- ni maculam asperget; 10. aliquid palam afferere, idemque clam deinde negare malam fidem evincit. In hoc Procopius foedissime lapsus est; duplum, & bisulcam linguam habere, viperinum est: sic enim sub ficto timore non vera historia, sed libellus famosus latet, ut anguis in herba.

22. Narrare deinde, quæ ex historico recens legeris, ad majorem inculcationem plurimum conser- rct; immo si tacitus eadem animo recolas, non contemnendum inde referes fructum: nempe accidet, ut illa mentalis relectio rerum imagines, quas prior lectio impresserat, menti altius imprimat.

23. Antequam totum historiæ corpus instruere, & componere incipias; operæ pretium esset, leviorum umbram, & rudiorem delineationem perfectæ imagini præmittere; mirum quantum prima illa velitatio juvet: igitur breviarium quoddam histo- riæ præmittes, v. g. epitomen Tursellini, rationa- rium Petavii, flores Histor. de Bussiere, Breviarium Petavii, varia Chronica Eusebii, Hieronymi, Pro- speri, Genebrardi, Cassiodori, Palmerii utriusque, Her- manni, Gualterii, Marcellini, Isidori, Bedæ, Nicephori, Gordoni, Tornielli, Adonis, Bellarmini, &c. Ale- xandrinum non omittes &c. primâ enim illâ tin- ceturâ imbutus, perfectam deinde plenioris historiæ cognitionem assequeris.

24. Quisquis ingenio valet, & prima illa tinctu- ra instructus historiam legendam suscipit; cursim, & raptim eam legat sine ulla fere longioris meditatio- nis cura; uno scilicet tenore, & tractu: nempe rerum illarum series, si forte interrumpatur, minus lucis, & facilitatis relinquit: ut enim signa illa me- moriæ credita, nisi in catenam quandam coeant, homi-

hominem fallunt; ita res ipsae minus apte animo adhærent, nisi continuatā fibulā, & serie copulentur.

25. Non eodem omnes animo, & sine historiæ vacant: sunt, qui primiarum familiarum genealogias duntaxat inquirunt; alii singularia quædam apophtegmata feligunt; alii sententias, & acutè dicta; alii singularia facta; alii mirabiles, & insolitos eventus; alii meræ curiositati, alii vanitati student; quod ad me spectat, tibi auctor essem historiam legenti, ut ad finem aliquem honestum hoc studium referres, v. g. ad instituendum animum, imbuedimque tamen præclaris cognitionibus; ad formandos tuos, aliorūmque mores; ad judicandum, quid in re simili, & pari casu agere debeas &c.

26. Historia duplex est: Ecclesiastica, & profana. Prima duplex est: antiqui scilicet, & novi testamenti. Historiam antiqui testamenti habes in scriptura, & Josepho; utere ad hunc finem annalibus Saliani, aut saltem satis copioso compendio, quod idem auctor edidit; rationarium Petavii, & Præfata Chronica, si vis, adhibe. Quod verò pertinet ad historiam Ecclesiasticam novi testamenti, illam habes in annalibus Baronii, & Spondani; ultimi hujus epitome omnibus placuit: habes præterea Pontificum vitas apud Platinam, Onuphrium, Ciaconium, Anastasium, & multos passim religiosorum ordinum annales, itemque Ecclesiarum historias, Episcopatum, sanctorum virorum: habes historiam Cassiodori, Nicephori, Callisti, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Evagrii, Eusebii; sed ut dicam, quod res est: Baronius, & Spondanus sufficere possunt; nec enim Euphyandro id pensi imponam, ut omnes historias Ecclesiasticas evoluat, præsertim cum aliquæ nimiam illorum temporum credulitatem valde oleant; aliæ certis partibus plus æquo faveant; nonnullæ nullâ testium, vel traditionum fide nitantur: uno verbo inumeras repetitio-nes toties recolendas illi obtrudere nolo; unum tam-

men indicō, novum Agiographiæ opus, quod Gy-
ganteum vocare soleo, non esse omittendum, cuius
3. Majora volumina jam exstant, studio & opera PP.
Bollandi & Eschenii elaborata; adde aliud magnæ
molis opus, historiam scilicet Conciliū Tridentini, ab
Emineatissimo Card. Pallanino scriptam & editam.

27. Quod verò ad profanam histeriam spectat, illam quoque in annalibus tum Saliani, tum Baronii
breviter expositam habes; ut tamen fontes adeas,
tibi auctor sum: illi autem sunt Herodotus, Thucydides, Xenophon, Justinus, Arrianus, Diodorus Siculus, Dionysius Halicarnasseus, Florus, Livius, Polybius, Sallustius, Vellejus, Tacitus; Lacunas autem explebunt Cicero, Plutarchus, Curtius, Cornelius nepos, Ælianus, Pausanias, Diogenes, Laëtitius, Solinus, Strabo, Suidas, Dio, Gellius, Valerius maximus, Photius; hos sequuntur Historiæ Augustæ scrip-
tores Suetonius, Spartanus, Lampridius, Trebellius, Herodianus, Lætus, Capitolinus, Vopiscus, Victor, Ammianus; his accedunt Eutropius, Paulus Diaconus, Landulphus, Rufus, Varnefridus, Jornandes, Orosius, Zosimus, Marcellinus, Procopius, Zonaras, Nicetas, Gregoras, Agathias, Europalates, Theophanes, Cedrenus, Idatius, Otho Frisingensis: pro rebus Gallicis adsunt Gregorius Turonensis, Aimonius, Eginardus, Guaguinus, Philippus de Commines, Pi-
thæus, Paulus Æmilius, Belleforestius, Peguillonus, Thuanus, Duchesne, Froissard, Duhailan, de Serres, Dupleix, de Bußiere; adde Mesaraiūm, qui postremus scripsit. Albertus Krantzius Danicas, Suecicas, & Norvegicas habet; Beda, Rogerius, Matthæus Paris, Polydorus Anglicas; Boëthius Scoticas; Turcicas Chalcondilus Baudier; Mariana Hispanicas; Luitprandus lacunam sui temporis implet; Morinus opus historicum non contemnendum scripsit; Famianus Strada optimi historici partibus defungitur; itēque Maffejus in vita S. Ignatii, uterque antiquioribus fortè

non impar. Adde Possinum, & Bartolum, utrumque omni elogio superiorem.

28. Nec est, quod Euphyandrum tanta auctorum, & librorum turba deterreat; nam eadem in pluribus cum sèpè inveniat, prudens omittit, & reliqua cursim devorat, ut supra dixi: nec res historica cibus est, qui multa, & longa coctione indigeat; credo mihi, dum libri suppetant, res facilis est, modò rectum filum ducas. De appellatis historicis, judicium non fero; non nego, aliquot fabulas admixtas esse historiæ, præsertim ubi de nationum originibus agitur: vix ulli sunt in Europa populi, qui vel ab Hectore, vel ab Hercule, vel à Deorum aliquo se profectos esse non jactent; imò sunt qui à Scythis ortum ducunt, quem tamen à Græcis ducere se dicunt; unum cetum est, ab Adami, imò, & Noëmi stipite omnes procedere. Sed ad historicos redeo: Herodotus elegans est, & ingenuus; inumeras tamen fabellas attexit, ut monet Tullius *l. i. de leg.* imò cùm Musarum nomine, totidem suæ hiltoriæ libros inscriperit, fabulis addictus videri voluit; Thucydides nitidus est, & veritatis amantissimus; Diodorus, & Aelianus varii, & in multis suspecti; Plutarchus, Pausanias, Strabo, Solinus, Photius, eruditæ; Polybius numeris omnibus absolutus; Livius diligens, sed in nonnullis sine delectu; Sallustius historiarum rex à Lipsio, & Manutio, Polybio par esse dicitur, utpote qui eventa ita narrat, ut causas simul aperiat; Tacitus primas tenere creditur, utpote, qui reconditissima Principum consilia sagacitatem indagat; nemo tamen negat, quin etiam ipse varios, incertosque rumores exploret, ut vel ex primis paginis perspicuum sit; Florus pressus, ac dilucidus; Suetonius diligens; Curtius cultus; Justinus contractus; Vellejus succinctus, & nitidus; reliqui inferioris ordinis, & notæ.

C A P U T VII.

De reliqua Eruditione.

1. R Eliqua eruditio infra graviores disciplinas est: nec enim, si propriis vocibus loquamur, Geometram, vel Philosophum, vel Theologum, vel juris peritum, vel Politicum, eruditum appellare solemus; sed eum dumtaxat, qui præter optimas illas artes, de quibus hucusque actum est, quædam alia, quæ tanquam appendices historiæ accedunt, apprimè tenent, v. g. antiquos ritus nuptiarum, funerum, sacrificiorum, totiusque rei sacræ; modum rei judicariæ, forensis, nauticæ, bellicæ, politicæ, civilis, agriculturæ, gymnasticæ; rationem, & formam comitiorum, ludorum, theatrorum, festorum, suppliciorum, ædificiorum, vestium, armorum, conviviorum, balneorum, atque thermarum. Adde varias formulas, seu concepta verba, quibus antiqui in suis ritibus utebantur.

2. Maximam rituum antiquorum partem in Sosino habes, non ità magno volumine, quod scilicet Euphyander paucis diebus penitus evolvere potest. Formulae à Brissonio collectæ mediocrem codicem fecerunt; reliqua invenies apud Plutarchum, Gellium, Pausaniam, Alexandrum ab Alexandro, Budæum, Tiraquellum, Victorium, Rodiginum; Polemicam apud Cæsarem, Lipsum, Polybium, Valtrinum; de nautica, copiosissimè, & doctissimè omnium scripsit Fournerius noster, apud quem, haud dubiè repieres, quidquid hac in re desiderare poteris; nostrum etiam Dupomay pro omnigena rei antiquæ eruditione magni facies, quibus adde Raderum, Pontanum & Cerdam, &c.

3. Adde Symbolicam, & Mythologiam; de prima plerique egerunt, scilicet Horus Apollo, Pierius, Athanasius, Rimber, Causinus; quibus adde Tipotium, Savedram, Goltzium, Galliam Metallicam

licam; in altera, plures quoque versati sunt, v.g. Natalis comes, Gyraldus, Poëtarum commentatores, Augustinus de Civitate Dei: hic sanè liber multam eruditionem continet. Præterea naturalem historiam, eruditio complectitur; in hac Plinius numeris omnibus absolutus est; de Plantis præter Theophrastum, & Dioscoridem, Dalecampius diligenter, & copiosè scripsit; de piscibus, Rondeletius; Aldroandus de variis, eâ certè copiâ, & diligentia, quam nemo haçtenus assecutus est; de re metallica, Agricola; de fossili Cæsius, Cato, Columella, & Domus rusticae auctores de agricultura.

4. Hæc autem ab Euphyandro nesciri, eumque à vili Grammatico doceri quis ferat? leviora sunt, inquies; fateor gravioris studii non esse; non tamen propterea contemnenda res est; cùm etiam levia sum pretium habeant; quasi verò levioris armaturæ milites inutiles sint; sumus quoque, etiam si levissimus sit, suo usu non caret: imò ignis inter elementa ultimum locum non tenet, quamvis alioquin levissimus. Præterea historia, & eruditio in eodem gradu, & ordine positæ sunt; neutra enim ad graviores disciplinas pertinet. Igitur, ut Euphyander sine pudore, & verecundia historiæ incumbit; ita sine probro eruditioni vacare potest: nec est, quod aliquis dicat, prædictam exercitationem Grammaticum quidpiam, aut Pædagogicum olere: Grammaticus enim, & Pædagogus suas virtutes, & sua virtus habent: modò vitia fugias, illúdque præser-tim, quid inanis ostentationis causâ vanam eruditio-nem affectent, virtutes amplecti juvabit.

5. Nec est, quod tanta librorum vis Euphyandum deterreat: cuncta enim facilia fluunt; nulli hic occurruunt nodi, quibus solvendis diu insitendum sit, nulli scopuli complanandi, nulli obices removendi; hic nihil abditum, nihil abstrusum, nihil quod summam animi contentionem desideret, sed omnia planè

planè amæna, & plana : scio, nonnullos esse, qui in hoc disciplinæ genere multos annos, imò, & totum vitæ tempus collocant. Est enim Critica res satis ampla, & vasta ; sed nolo, Euphyandrum in hujusmodi iniunctis senescere: optandum quidem est, ut non nulli se totos rei criticæ dedant, nempe inde aliorum quieti, & studiis mirificè consuluntur ; nolo tamen Euphyandrum eum esse, qui intra criticæ fines se contineat; utpote qui ad majora natus est, & gravioribus disciplinis vacare debet.

6. Eruditione profana minimè contentus ad Ecclesiasticam animum applicet ; præsertim si forte ipse Ecclesiasticus sit : hæc autem eruditio Ecclesiastica multa complectitur, scilicet antiquas Ecclesiæ Traditiones, constitutiones Apostolicas, sacros Canones, antiquos ritus, varias Liturgias, generalia, & Provincialia Concilia, Hæreses, & Hæresiæ chas, jurisdictionem Ecclesiasticam, ea quæ pertinent ad Divina officia, ad Hierarchiam Ecclesiasticam, ad diversos ordines, & gradus, ad ceremonias Ecclesiasticas, ad Latinos, ad Græcos ritus, ad Christianam rem, ad sacras vestes, ad Ecclesiæ ministros, ad singulorum munia, ad Sacra menta, & Sacramentalia, synaxes, & Cantus, templa, & sanctuaria, aliisque hujusmodi, quæ tanquam appendices Ecclesiastica Historia æ annexa sunt.

7. Neque res hæc tantam difficultatem habet, quantam prima specie præ se ferre videtur ; habes in tabulis Chronologicis Bellarmini, & Gualterii digestas hæreses in paucis lineis, & uno serè aspectu, vides quid seaserint Simon Magus, Cherintus, Papias, Carpocrates, Marcion, Montanus, Origenes, Donatistæ, Novatiani, Manichæi, Sabellius, Arius, Macedonius, Eunomius, Apollinaris, Jovianus, Pelagius, Nestorius, Eutyches, Massilienses, Armeni, Monothelitæ, Iconomachi, Græci, Berengarius, Abailardus, Valdenses, Albigenses, Bergardi,

gardi, Wicleffes, Joannes Hus, Lutherus, Anabaptistæ, Calvinus, aliisque, qui ex his prodiere.

8. Scripserunt autem contra Marcionem Tertullianus; Novatianos Gyprianus, Pacianus; Arianos Athanasius, Hilarius, Ambrosius; Donatistas Optatus, Augustinus; Eunomium Basilius, Nazianzenus; Pelagium Hieronymus, Augustinus, Fulgentius; Massilienses Prosper, Maxentius; Manichæos Augustinus; Origenem Hieronymus, Theophilus Alexandrinus; Nestorium Cyrus Alexandrinus; Eutychen Leo, Celsianus; Monothelitas Sophronius, & Maximus; Iconomachos Damascenus, Studites; Armenos Theorianus; Græcos Humbertus Cardinalis, Anselmus, Beffarion; Berengarium Lanfrancus; Abailardum Bernardus; Wicleffum Valdensis; Hussitas Æneas Sylvius; Lutherum Eckius, Cochlaeus, Pighius, Catharinus; Calvinum Horantius, Malerus, Bellarminus, Gualterius; Jansenistas Martinonus, Annatus, Petavius, Dechamps; contra varios Irenæus, Epiphanius, Philastrius, Theodoretus, Vincentius Lirinensis, Guido Carmelita; contra impugnantes Pontificiam potestatem, Pelagius Alvarus, Turrecremata; contra impugnantes ordines religiosos, SS. Thomas, & Bonaventura: in uno Bellarmino, quod te satiet, invenies; cui, si vis, adjunge Valentianum, Becanum, Canisium, Gretserum, aliisque Recentiores, qui passim occurruunt; sed præ ceteris eruditissimum Petronium minimè omittes.

9. Concilia, & sacros canones in promptu habebis: Canones Apostolici Clementis vitiati sunt; quinquaginta primi magis sinceri; Constitutiones Apostolicæ ejusdem, multum depravatae. Quod pertinet ad traditiones Ecclesiasticas, multa in Bellarmino, Becano, aliisque habes; in Perronio, Francisco Turriano, Grettero, Canisio, Serrario, Simondo, multam eruditionem Ecclesiasticam; Alcimus,

mus, Remigius Antisiodorensis, Rupertus, Hugo de sancto Victore, Guillelmus Durante, Amalarius Fortunatus de divinis officiis scripserunt; idem Hugo, de Ceremoniis, Sacramentis, mysteriis Ecclesiae; Perino, & Scortia de Missa, & pertinentibus ad Missam; Humbertus Card. de aZymo, & jejunio Sabbati; Aimo de memoria rerum Christianarum; de dignitatibus Ecclesiasticis Azor, Barbosa; hic fusè de Episcopo: de Hierarchia nonnulli, ut D. Aliter, Celloitus; habes pallium Marci Pauli, Sausseii Panopliam, Arcudius de ritu Græco accuratissimè scripsit; de Papa, & Concilio, Jacobatius, Joannes faber, Victoria, Benetus, Georgius Scholarius. Bellarminus, Petrus ab Aliaco, Pelagius, Alvarus; Liturgias varias habes in Bibliot. Patrum.

10. Ad eruditionem quoque librorum, auctiorumque notitia pertinet; primò apud Hieronymum habes librum de scriptoribus Ecclesiasticis; de eadem materia Eusebius Cæsariensis ante Hyeronimum scripserat; post illum verò, Gennadius Massiliensis, Isidors Hispalensis, Photius, Tithemius; Passevinus in suo apparatu scriptores penè omnes veteres, & recentiores ordine alphabeticō recensuit; idem fusè præstítit, magno volumine, Justinianus; Alegambe scriptores nostros diligenter enumerat. Porrò magni laboris, & negotii res ista non est; si quis enim per aliquot dies, cum amanuensi, in Bibliotheca instructissima versetur, omnes codices facilè lustrabit, & recognoscet auctores; modò alacri, patienti tamen animo sit.

11. Præterea quia Euphyandrum Christianum instituo, scire illum velim Sanctorum virorum vitas, & acta, quæ in unum quidem, sed paulò magis volumen, Heribertus noster, ex Hieronymo, Ruffino, Theodoreto, Palladio, aliisque auctoribus congescit. Habes apud Surium multa hujus generis; adde, si Vis, Lippomanum, Saussejum, Bollandum, aliós.

aliósque rerum fortiter, & piè gestarum scriptores; adde Galliam Christianam, item Italiam sacram, & varia Martyrologia. Non nego, aliqua esse apocrypha; unde aliquem rerum delectum desiderarem: quanquam in rebus p̄fertim piis, aliquid simplici majorum nostrorum credulitati concedendum est; unde nonnullorum in dolem mirari satis non possum, qui argumento duntaxat negativo plurima p̄iae memoriæ monumenta impugnant, quæ solâ parentum traditione tenemus; desinant, quæ so, piam Christianorum fidem in judicium vocare, in eāmque quæstione in decernere, donec testes oculatos producant; quid, quæ so, illorum interest; quasi verò probabile non sit, quod tam multi auctores adstruunt, omniumque populorum consensus firmat; sed hæc mittamus, ne cui forte bilem moveamus.

12. Unum restat ad sacram eruditionem, ut piorum etiam librorum Euphyander usum habeat, in quibus totidem spiritualis, ut vocant, & Christianæ vitae magistros habere potest: quod certè ab Euphyandri instituto, non modò alienum non est, sed cum eo mirificè consentit. Porro inter libros pios, viris doctis, & ingeniosis commendare soleo confessiones S. Augustini, contemplationes Idiotæ, S. Bernardi tractatus, præsertim de consideratione, Opuscula Bonaventuræ, Libellum de imitatione Christi; Salviani opera; habes præterea multos Recentiores, qui vernaculâ linguâ scripserunt: aliquos tantum appello, ut Caussinum, Suffrenum, Grantessem, Rodriguez, Sanjureum, Haincuvium, de Sales, de Ponte; Drexelius, qui Latinè scripsit, non paucis placet.

13. Hæc ferè sunt illa capita, ex quibus Euphyandri eruditio derivatur: unum tamen vitium est, quo aliqui erudit laborant; vanæ scilicet doctrinæ ostentatio: videres enim ex iis aliquem in frequenti coroua, quasi alterum Palæmonem, seu tumidum, puti-

putidumque eruditiovis affectatorem, unum sibi eruditii nomen, & auctoritatem insulsè vindicare: quo certè nihil ineptius audiri, vel excogitari potest. Hoc vitium Euphyandro fugiendum est, ne suas theses ludibrio exponat. Aliud quoqne vitium, seu periculum est, nescilicet eruditii illi, tuto Theologiæ præsidio destituti, in rebus fidei, & sacris Dogmatis multa peccent, suâ duntaxat eruditione contenti: ab exemplis abstineo; quanquam Erasmus, Valla, Scaliger, & alii bene multi luculenta hujus rei testimonia, & exempla suppeditarunt; malim certè cum ignaro, quam cum illis semidoctis agere, qui, cum se satis, supérque scire putent, aliud quidpiam doceri nolunt: imò, quod jam olim Luthero, Calvinio, & Iansenio familiare fuit, in Theologiam Scholasticam arciter invehì solent. Siste gradum, mi homo: qui male agit, lucem odit; Theologos odisti, qui tuos errores palam faciunt, tuas hæreses refellunt, & absurditates aperiunt: magistros odisti, ne docearis; scholam fugis, quia ferulam times; tuam eruditionem laudo, modò illa se fuis finibus contineat; errores tamen probare non possum, qui haud dubiè, ex mera theologiæ ignorantia derivantur; sed hæc infrà iterum refricabo.

C A P U T VIII.

De Geometria.

I. **G**eometria lineamenta, formas, intervalla, magnitudines considerat, & nulli profus materiae addicta est, sed quantitatis abstractæ, ut vocant, passiones demonstrat: in hac autem disciplina, prima si dederis, danda sunt omnia; nempe Geometræ persuadendi necessitatem adhibent; nec se modò persuadere profitentur, verùm etiam cogere: hinc digna exquisito ingenio, ac proinde Euphyandro meo provincia est; dignum magno animo theatrum; digna fortissimo pugile arena; digna demum, summa virtute

virtute palæstra ; hic onus non impar humeris sustinet, & par viribus argumentum habet, eoque munere defungitur, maximis ausis æquali : non est hic liberè vagandi campus, nec ludendi locus : vagari licet in historia ; ludere in Poësi : in Rhetorica liberiū agere ; magna, seria, ardua res est Geometria, cui totus animus dandus est, & maximo studio incumbendum : fertilis quidem gleba est ; sed ut pinguor est, ita majore labore colitur, & sudore dumtaxat subigitur, non tamen sine spe uberrimi fructus.

2. Porro Euphyander magnorum hominum exempla, qui Geometrica studia coluerunt, ante oculos habet : Socrates, Plato, Aristoteles tria sunt, & prima antiquitatis lumina, quibus Geometria cordi fuit, quique illam posteris, summis reverè laudibus donatam, reliquerunt : præ cæteris tamen Divinus Plato, qui non modò illam utilem esse dicit, ad alias artes faciliū addiscendas, verū etiam omnis humanæ eruditionis viam appellat, & omnes alias disciplinas sine Geometria viles esse contendit : hinc primo loco, tyronibus explicandam esse præscribit, quod scilicet aliis disciplinis exponendis facilem viam sternat : hinc idem Philosophus neminem inter suos auditores ageometram admittebat : subneccerem aliquos, Pythagoram scilicet, Hippocratem, Euclidem, Archimedem, aliósque ferè innumeros, quos antiquitas suscepit, quique Geometriam summa cum gloria coluerunt.

3. Deum ipsum supremum Geometram esse, & semper Geometriam tractare, non insulsè idem Plato afferuit, & nonnulli recentiores fusiū explicarunt ; ut qui cuncta numero, pondere, & mensura definiat : in natura luculentum hujus artis exemplum habemus : nec in ipso Numinis cultu desideratur, cujus olim formam Deus homines docuit, dum iis tabernaculi dimensiones, & symmetriam, Altarisque, & sacrorum vasorum figuras, variásque pro-

proportiones præscripsit. Natura verò mirabilis Geometra est; in motu gravium, & luminis diffusione, eas proportiones servat, quas vix accuratissimi Geometræ definiunt; in floribus, in fructibus, in seminibus tam varias omnium ferè figurarum rationes & symmetrias ostentat, ut nullâ penè arte illam opifices imitari possint; imò nativo quodam illius instinctu, apes suas cellulas exagonas fabricant; Araneæ, suas telas texunt; Bombyces, suas tornant sphæroidas; & aviculæ suos nidos miro certè artificio construunt: uno verbo, suos omnes effectus certis quibusdam proportionibus ita implicuit, & involuit, ut sine multa Geometriæ proportionum scientia, exolui, & explicari non possint.

4. Quod autem in summo apud omnes honore Geometria fuerit, in dubium revocari nequit, præsertim cum omnis generis, & conditionis homines in ea præclarè versati fuerint. Vis nobiles: Guidubaldus, & Candala insignes Geometræ fuerunt; sed quid duos duntaxat numero; cum hisce temporibus, nobiles ferè omnes Galli Geometriæ operam navent: Principes etiamnum viventes appellare possem, non mediocriter in hac disciplina versatos: inter sanctos Patres, habes Basiliū, Bedam Geometrica facultate instructissimos: inter Cardinales, Cusanum, & Alliacensem: inter Pontifices, Gilbertum seu Sylvestrum 2. inter Medicos Fracastorium, Viettam, Mydorgium: Bartolum, Fermatium inter Jurisperitos: inter religiosi instituti homines, innumeros habes; ut Franciscum Maurolicum, Cavalerium, Grimbergerum, Clavium, Laloveram, Gregorium à sancto Vincentio, Tacquetum Guldinum: Viventes minimè appello.

5. Porro quantum Geometria utilis sit, vix dici aut explicari potest: primo enim loco explicat, & acuit ingenium; nempe studiis Geometricis assuetum, fines suos ita producit, & sphærā dilatat, ut reli-

reliqua deinde majore, & ampliore sinu excipiat, & comprehendat; præterea ita hominem instituit, ut verum à falso inde melius discernat, quod quanti momenti sit, ad rem literariam promovendam, perspicuum est: nempe cum vera duntaxat proponat, ingenuam veritatis speciem in mente relinquit, cuius aspectu, veritatem à falsitate statim discernimus. Hinc homo ad literarum studia capessenda, instructior, & habilior evadit: cùm enim ratiocinio duntaxat eas disciplinas nobis comparemus; Geometria, quæ perfectum, & sincerum duntaxat ratiocinium adhibet, sincerè ratiocinari nos docet. Non tamen est, quòd nonnemo dicat, percipi scilicet, ac perspici non posse demonstrationis vim, sine Geometria; nec sine illa veram sciendi methodum unquam haberi; in cuius rei fidem Galenum citat; cùm tamen Galenus de Dialectica etiam loquatur, cuius operā demonstrationis modum, & vim perspicimus. Equidem Geometricam methodum illam vocare sollemus, quæ res demonstrat; quia Geometræ res suas optimè demonstrant: dubium tamen non est, quin aliæ quoque disciplinæ demonstrationem adhibeant; ut Logica saltem, & Metaphysica: in hoc autem à Dialectica Geometria discrepat, quòd illa suis præceptis, & regulis; hæc verò usu suo duntaxat animum ad rectè ratiocinandum probè instituat.

6. Præterea cum Geometria vera tantummodo proponat, eam tuti, & inoffenso pede lustramus; nempe illa paralogismos proscribit, si quos enim apud Geometras invenias, illud certè artificis, non verò artis vitium est; res dubias minimè curat, quia certas, & evidentes prosequitur; nullas opiniones admittit, quia unius duntaxat amore scientiæ tenetur; deinde hominis animum supra res humanaas extollit, illique suam immortalitatem facile persuadet: cum enim illa ab omni materiæ contagio libera, & segregata sit; quid mirum, si animum ab ea-

dem abstrahit, & avocat, eumque suæ conditionis, & incorporei status quasi admonet: denique cum hominis ingenio valde consentit, eaque illi proponit, quæ nativa quadam vi, modò se applicet, aſſequi potest: hinc Socrates apud Platonem, in Menone, ut refert Tullius, ubi de dimensione Geometrica quadrati, pusionem quemdam interrogasset, ad ea sic ille initio respondit, ut puer; sed cum faciles interrogations adhibuisset Philosophus; eò gradatim puer peruenit, quasi Geometrica didicisset: ex quo, ni fallor, non quidem, ut ille volebat, rerum præteriorum recordationem inferre, ac deducere possumus, sed nativam quandam, & mirificam Geometriæ cum immortali hominis animo conſensionem.

7. Evidem perfectum, & absolutum, ejusdem scilicet auctoris, totius Geometriæ corpus desideratur; varii, varia scripsere, & multa, multi; sed ne-
mo simul omnia: Euclides elementa; Archimedes, de sphæra, & Cylindro, circulo, & parabola; Apollonius conica; Pappus Alexandrinus varia; ex Recentioribus verò, multi Geometriam summa cum laude tractarunt: Clavius in elementis, & alibi paſſim; Leotandus, & Mydorgius in Conicis; Gregorius à Sancto Vincentio in sua quadratura; Debili in Clavi Geometrica; Geraldus, & Vieta in variis; Commandinus in Elementis; Cartesius in sua Geometria: Torricellus in lib. de Sphæra, cylindro, & parabola; Richardus Blancus de sectionibus hemi-
phærii: Tacquet multa edidit, item Lalovera: de Fermatio, & Robervallo nihil dico, quanquam summos esse hujus ſæculi Geometras ſcio, quorum tam opera, ſi quæ forte in lucem ediderunt, non vi-
di: unus appellandus reſtat, ſcilicet Bonaventura Cavalierius, quem hujus ſæculi Archimedem vocare ſoleo: jure, an immerito, viderint æqui rerum & ſtimatores: quantum enim Geometriam novâ illâ ſuī methodo promoverit, vel iſpi minimū oculati clarissi-

mē perspiciunt : scio , methodum illam nonnullis
 minus probari ; quid tum ? aliis enim , mihiq̄e , ne
 quid dissimilem supra modum placet , & quisquis
 eam vel intelliget , vel diligenter discutiet , nisi pravo
 aliquo , vel invidiæ , vel præoccupationis vitio labo-
 ret , in hanc sententiam ibit . Evidem paulò obscu-
 rior est , fateor ul̄to : & longè clariū exponi , & pro-
 poni potuit : ego verò dabo operam , ut juxta illam
 methodum , sed faciliore , & breviore modo expo-
 sitam , integrum Geometriæ corpus aliquando pro-
 deat : addo alios præstantissimos hujus temporis Geo-
 metras , Borrellum scilicet , Vivianum , Stephanum
 de Angelis , Riccium . &c.

8. Ut autem Euphyander aliquid à nobis ha-
 beat , quod ejus studia Geometrica promovere pos-
 sit , præter ea pauca , quæ jam habet in edita metho-
 do ; tum lib. I. cap. I. art. 4. tum lib. 6. cap. I. art.
 I. & 2. quæ hic non repeto : nonnulla hoc loco sug-
 geremus , ut & consiliī , & instituti mei crassiorem
 aliquam designationem habere possit . Itaque Geo-
 metria quantitatis abstractæ , ut vocant , vel exten-
 sionis seorsim sumptæ passiones , & proprietates de-
 monstrat . Est autem extensio triplicis generis , scili-
 cet , vel unius dimensionis , vel geminæ , vel trinæ :
 prima est linea ; secunda superficies ; tertia corpus ,
 vel solidum , vel trinè dimensum : corpus enim Geo-
 metricum à corpore physico maximè distinguitur ;
 cùm etiam inane , quod spatiū imaginarium vo-
 cant , pro corpore Geometrico haberi possit . Igitur
 dum corpus Geometria appellat , ne quæso cogita
 substantiam aliquam impenetrabilem , sed trinam
 dimensionem terminatam , quam in ipso inani , ne
 quid Geometricæ puritati oblit⁹ accipere soleo . Unde
 mirari fatis non possum duplex hominum genus :
 primum illorum est , qui rem Geometricam cum
 ipsa compositione continui Physici confundunt , cum
 tamen hæc ad illam nullo modo pertineat : five

enim continuum componas ex punctis Mathematicis infinitis, cum Galileo; vel atomis, seu corpusculis, cum Democrito; vel punctis Physicis cum aliis vel partibus infinitis cum Aristotele, divisibilibus actu, vel potentiam in infinitum, ut vocant: perinde est ad rem Geometricam, in qua meram extensionem confidero, sive simplicem, sive compositam, divisiblem actu, vel potentiam, ut vocant, in infinitum. Unam Zenonis Hypothesim, Geometria non admittit, quae scilicet ex punctis Mathematicis finitis quantitatem componit: quia concipi non potest quantitas, vel extensio, quae divisibilis in infinitum non fit; actu scilicet, vel saltē potentiam: unde si Angelus in conūm perfectū sese conformet, certi non minūs in trinedimenso illo conico, omnes sectiones, & passiones conicas demonstrare possum, quam in quolibet alio: nec est, quod dicas à Geometra dividī, & secari conūm; cūm tamen Angelus secari, & dividi non possit: sed quisquis ita loquitur rem hanc, meo iudicio, non capit: nec enim Geometrica Physicam sectionem, aut divisionem adhibet; sed Geometricam, cuius etiam Angelus capax est: neque in hoc ulla difficultas est.

9. Alii sunt, qui Cavalerii, methodum non probant, quod indivisibilia, à quibus Physica abhorret, inducere videatur; poterat haud dubiè Cavalerius nullā factā indivisibilium mentione, suam novam methodum explicare; si enim lineas, & superficies, vel plana, & fluxum puncti appellāset, quis amabō repugnare, aut contradicere potuisset; cūm, & lineas, & plani in communi Geometria mentio frequenter sit: igitur hujusmodi scrupulis Cavalerius facile occurrere poterat; hoc tamen non facit, quia de Geometria male sentiant, qui ad Physicam illam traducunt; nempe si animum advertissent; videntur illico, rem novam in Geometriam à Cavalerio non induci, cum alia indivisibilia non inducat.

nisi litteras, & superficies, quas omnis Geometria admissit. Porro nihil aliud linea nomine intelligo, immo nihil aliud intelligi potest; nisi fluxus puncti: si enim punctum moveri intelligatur, vestigium aliquod imaginarium, id est, quod revera concipere possumus, motu illo imaginario relinquitur, omnis latitudinis, & profunditatis expers: hoc autem lineam voco; neque nomen novum est, quod ab aliis quoque Mathematicis usurpatum fuit, teste Clavio l. i. *Elem. def. 2.* Nihil porro est vestigium illud, nisi infinitorum punctorum series, à genitore punto relicta. Quod autem linea constet ex punctis, ex *def. 3.* patet; linea enim recta illa est, quae ex æquo sua interjacerunt puncta, ita, ut nullum punctum intermedium vel attollatur, vel deprimatur, vel huc, aut illuc deflectat, ut habet Clavius: nempe si linea erecta ita in aliam moveatur, ut eam in continuo illo motu fecerit; haud dubie, cum semper fecerit in punto, & sint sectiones infinitæ, saltem potentia, etiam puncta infinita saltem potentia erunt; si quid in ea linea præter infinita illa puncta admissis, sublatum cense: nam residuum duntaxat, id est, illam punctorum seriem considero: igitur punctum fluens lineam gignit: rectam quidem, si motu recto; curvam, si curvo fluit.

10. Porro ut punctum fluens gignit lineam, id est, vestigium quoddam ex infinitis punctis post se relinquunt; ita linea fluens superficiem gignit: sic autem linea recta hæc duobus modis moveri potest: primò ita, ut omnia illius puncta æquali motu in transversum moveantur, & sibi semper illa parallela sit; secundò inæquali. Si primùm, duobus modis moveri potest: primò in eodem plano, & sic gignit superficiem planam parallelo-grammatis; secundò in diverso piano, & sic gignit superficiem curvam; cylindri quidem, si extrema lineæ moveantur circulati motu. Porro, ut linea est vestigium puncti

fluentis, ex infinitis lineis constans; ita præfata superficies est vestigium lineæ fluentis ex infinitis lineis constans: si verò illius puncta inæquali motu moventur, idque circa extremum immobile; duobus modis res fieri potest: primò, in eodem plano & sic gignit circulum; vel in diverso, ita ut tamen extremitas mobilis describat circulum, & sic gignit superficiem coni: hæc eadem gignitur ex motu trianguli circa axem; & Cylindri, ex motu rectanguli, quod si linea curva supponatur, v. g. circulus si moveatur motu recto in transversum, gignit Cyliandricam; si inæquali circa diametrum imobilem, gignit sphæricam: pari modo si parallelogramma moveatur in transversum, motu æquali, gignit parallelopedum; si circulare, gignit Cylindrum; si triangulare, vel polygonum, gignit Prisma; si circulus circa axem, gignit sphæram; si triangulare gignit Conum; si rectangulum, gignit Cylindrum. Porro sunt quædam lineæ, quæ resultant ex sectionibus, ac proinde vocantur sectiones; v. g. si Conus secetur à piano parallelo basi, sectio erit circulus; si à parallelo alteri lateri, parabola; si supra parabolam, erit ellipsis, si infra erit hyperbola; si Cylindrus à parallelo basi, erit circulus; si ab inclinato, erit ellipsis; omnis sectio sphæræ à Plano, circulus est.

II. Itaque, ut linea nihil est aliud, nisi omnia sua puncta continua, scilicet infinita; ita superficies nihil est aliud, nisi omnes suæ lineæ parallelæ, continuæ infinitæ; & corpus, omnes suæ superficies, vel omnia sua plana: v. g. planum circulare constat ex omnibus suis lineis rectis cuiquam diametro parallelis, & inæqualibus; vel ex omnibus suis circularibus concentricis. Porro tot sunt rectæ, quot puncta in semidiametro; sic quadratum constat ex omnibus suis lineis rectis alteri laterum parallelis, quæ sunt tot, quot puncta in latere; vel ex omnibus Gnomonibus inæqualibus extimo parallelis, qui sunt tot,

qua

quot puncta in latere; vel ex omnibus suis quadrilineis, inæqualibus, quæ sunt tot, quot puncta in semilatere: rectangulum verò oblongum ex lineis rectis æqualibus alteri laterum parallelis: pari modo, Cubus constat ex omnibus suis planis quadratis, vel superficiebus cubicis; Cylindrus ex omnibus planis circularibus æqualibus, basi parallelis, vel rectangularibus inæqualibus axi parallelis; vel superficiebus Cylindricis; similiter sphæra ex omnibus planis circularibus inæqualibus parallelis, vel ex omnibus suis superficiebus sphæricis; superficies verò sphærica ex omnibus suis circulis inæqualibus parallelis; Conus ex planis circularibus, vel Parabolicis, vel Hyperbolicis, &c.

12 In hac methodo, ratio præsertim habetur cuiusdam lineaæ, quam mensuram figuræ voco; quia scilicet metitur numerum, vel linearum, vel planorum, ex quibus figura constat, hæc autem aliquando eadem est cum altitudine figuræ; sic quadratum constat tot lineis æqualibus parallelis basi, quot sunt puncta in altitudine quadrati; item Cylindrus tot planis circularibus æqualibus, quot sunt puncta in axe, vel altitudine Cylindri; aliquando non est eadem: sic Cylindrus tot constat superficiebus Cylindricis inæqualibus, quot sunt puncta in semidiametro basis: igitur semidiameter basis est illius mensura: sic circulus tot circulis, seu peripheriis inæqualibus concentricis, quot sunt puncta in semidiametro: hinc eadem figura pro diversa analyfi, seu genesi, secundum quam accipitur, diversam mensuram habere potest: ut autem hujus mensuræ ratio habenda sit, ita observandum, eam ita accipi debeat inter duas parallelas, quibus vel lineaæ, vel plana, ex quibus constat figura, continentur; ut vel lineaæ, vel plana prædicta in mensuram illam perpendiculariter cadant: vocentur autem illæ lineaæ, & plana, elementa figuræ: quia scilicet ex iis constat, & in

ca resolvitur: prima quidem, si sunt lineæ: secundi vero, si sunt plana, vel superficies: igitur elementa in mensuram perpendiculariter cadunt: sive mensura, quæ semper est linea recta, intra figuram sit, sive extra: itaque quælibet figura habet tria principia intrinseca, scilicet elementa sua tanquam materiam, eorumdem formam, & prædictam mensuram, hoc est fundamentum mensurabilitatis, ut sic loquar, tanquam primam proprietatem figuræ: forma autem illa nihil est aliud, nisi elementorum ratio, & modulus: v. g. si lineæ illæ, ex quibus constat figura, sunt æquales, hæc æqualitas elementorum est forma figuræ: si verò inæquales, & continuè decrescent, illa ratio decrementi est forma

13. Hinc, ut vides, habeo principia intrinseca, & directa, per quæ proprietates figuræ demonstrari possunt, eaque præferenda extrinsecis, & indirectis: hæc enim sunt principia cognitionis, illa verò rei: hinc principia cognitionis longo lemmatum, suppositionum, & propositionum præmittendarum appara-
tu indigent, longoque, & difficiili ratiocinio: ut videre est apud Archimedem, & Apollonium: cùm tamen principia rei rem statim explicit: hinc Ca-
valeriana methodus, modò adhibeat cum elementis
rectis etiam curva, tum in lineis, tum in superficie-
bus, & superfluous ille apparatus transitus recti, &
obliqui, indivisibilium laxorum, & pressorum, nor-
mæ, & regulæ, sensus collectivi, & distributivi au-
feratur, qui occasionem minùs cautis errandi, &
æmulis, illum impugnandi præbuit: & habeatus
tantum ratio mensuræ præscriptæ, & elementorum:
illa inquam methodus est omnium optima, non he-
terogenea, ut non nemo scripsit, sed directa, & pro-
pria: cum principia directa, & intrinseca adhibeat:
& illius opera, non modò illa omnia demonstrare
possimus, quæ antiqui demonstrarunt, ac longè fa-
cilius, verùm etiam innumera propemodùm nova,
eaque

cāque mirifica facilitate, ut videre est in Cavalerio, Torricello &c.

14. Figurarum autem analogia non à materia, hoc est ab elementis, sed à forma petenda est, vel potius à formarum similitudine: forma verò, ut dixi, est modus ille, quo plana, seu superficies, & linea, hoc est ipsa elementa procedere censemur; primus modus est simplicissimus: cùm figura resolvitur in elementa æqualia; ad hanc autem classem varia figurarum genera reducuntur, ut parallelogramma, parallelepipedum, Prisma, Cylindrus, Cuneus parallelepipedī subduplicis, Cuneus parabolicus, solidum genitum in revolutione hyperbolæ à segmentis applicatarum, comprehensis inter hyperbolam, & asymptotum, & alia multa: porro ut habeas quamlibet figuram hujus primæ classis, ducenda est basis in mensuram: reliquas classes constituant illæ figuræ, quæ resolvuntur per Elementa inæqualia, & continuè decrescentia quia vero inæqualitas multiplex est, etiam classes multas esse oporet: igitur ad secundam classem reduco omnia triangula, Conoides parabolicum, circulum resolutum in peripherias concentricas, Cylindrum in superficies Cylindricas, Cuneum in plana basi parallela, quadratum in normas, vel gnomones polygonum in polygona concentrica, superficiem Coni in circuitos parallelos.

15. Tertia classis est Coni resoluti in plana circularia, ut autem elementa secundæ classis decrescant in ratione altitudinum, ita elementa hujus classis decrescant in duplicata altitudinum: ad hanc autem, præter Conum revocantur Pyramis, trilineum parabolicum resolutum in lineas axi parallelas, residuum cylindri, detracto hemisphærio ejusdem altitudinis, & basis, Sphæra resoluta in superficies concentricas; Conus in superficies conicas. Quarta Classis est parabolæ resolutæ in parallelas axi; ad

hanc reducitur hemisphærium resolutum : in plana circularia parabella basi ; item Sphærois ; Pyramis cum basi quadrilatera , resoluta in plana parallela alteri facierum ; residuum Cylindri , detracto Cono , ejusdem altitudinis , & basis ; residuum prismatis , detracta Pyramide ; genitum à sectione quadrantis , cuius corda est parallela axi ; genitum ab inferiore sectore ejusdem quadrantis ; genitum à triangulo circa tangentem angulum revoluto ; & innumera propemodum alia . Quintam Classem facit Conoides hyperbolicum ; sextam solidum parabolicum , genitum à semiparabola , circa applicatam revoluta ; septimum genitum à trilineo parabolico , revoluto circa parallelam applicatis ; Octavam , quadrans resolutus in parallelas radio , item quadrans cylindri in rectangula parallela ; nonam superficies hemisphærica ; decimam Conoides parabolicum resolutum in parabolas parallelas axi ; omitto alias classes , de quibus in Geometria nostra ex professo agemus .

16. In qualibet Classe figuræ ejusdem generis , & mensuræ sunt , ut bases ; si verò diversa mensura sit , sunt incomposita mensurarum , & basium : ut autem rectangulum est ad triangulum ejusdem basis , & mensuræ ; ita prisma ad Cuneum ; cylindrus ad Conoides parabolicum ; & ut prisma est ad pyramidem , & Cylindrus ad Conum , ita rectangulum ad trilineum parabolicum ; & ut prisma sublata pyramide est ad residuum , item Cylindrus , sublato Cono , est ad residuum , ita rectangulum ad semiparabolam , & cylindrus ad Sphæram : hinc facilis parabolæ quadratura : hinc ut habeatur figura primæ classis , ducatur basis in totam mensuram ; in secunda , ducatur in subduplum mensuræ ; in tertia ducatur in subtriplum ; in quarta , ducatur in $\frac{2}{3}$ mensuræ : in quinta , diversimodè , in sexta , ducatur in $\frac{8}{15}$ mensuræ ; in

dctava , nescitur ; in nona dicitur major circulus in semidametrum ; in decima , nescitur adhuc : hinc facilè demonstratur , cylindrum esse sesqui alterum hemisphærii ejusdem basis , & altitudinis ; item superficiem curvam utriusqne esse æqualem ; item superficiem sphæræ esse quadruplam majoris circuli . Hæc , & innumera propemodum alia , ex jactis principiis , juxta hanc novam methodum facile demonstrantur ; tantum indico , nec enim de his agendi hic locus esse videtur .

17. Præterea mensura est curva in uno casu , scilicet in superficie hemisphærii : est enim arcus quadrantis majoris circuli ; non tamen basis , id est , peripheria majoris circuli dicitur in totam mensuram , sed in partem illius æqualem semidiametro , cuius præcisa proportio ad arcum quadrantis nescitur : potest autem hæc figura infinitas alias analogas habere , quæ singularem classem constituant : in quadrante vero circuli mensura , & basis æquales sunt semidiametro ; dicitur autem basis in subduplum arcus quadrantis , cuius ad radium proportio nescitur : in hac autem classe plures etiam figuræ analogæ sunt ; porro his præsidiis , & hac methodo instructus Euphyander facilè poterit demonstrare , idque sine longo demonstrationum circuitu , tum ea , quæ apud antiquiores Geometras leget , Euclidem scilicet , Archimedem , Apollonium , Pappum , Serenum , tum Recentiores , Clavium , Cavalerium , Torricellum , Mydorgium , Vietam , Chetaldum , &c. imò quod caput est omissis illorum demonstrationibus , ex suis principiis eorum propositiones facilius demonstrabit . Et vero hoc unum præ cæteris curæ esse debet Geometræ : ut res facilitet , & quantum fieri potest , contrahat ; nam longa illa figurarum , linearum , & characterum series animum valde implicat ,

18. Nec est, quod aliquis putet, planas, & solidas figuræ ad eandem Classem non pertinere, cùm planum ad solidum nullam proportionem habeat; quis enim hoc dicat? dico tamen figuræ ejusdem altitudinis, & rationis esse, ut bases, v. g. duo rectangula, duos cylindros, duos Conos; nec enim basis cum figura comparatur; sed dicitur figura esse ad figuram, ut basis ad basim, pari modo dicitur esse rectangulum ad triangulum, ut cylindrus ad Conoides parabolicum; & cylindrus ad Conum, & rectangulum ad trilineum parabolicum. Cæterum Arithmetica ita cum Geometria conjuncta est, ut una sine alia stare non possit: quare utrique simul incumbes, ea certè diligentia, quam rei gravitas, & difficultas postulare videntur, non tamen Euphyandro auctor esse possum, ut totum huic facultati, atque disciplinæ se dedat: nempe alia multa sunt, quibus operam suam, summa cum laude, & magno lucro navare potest. Itaque eum tam in rebus Geometricis esse cupio, ut, quidquid Geometricum ab aliis demonstrandum fuit, si res ita ferat, intelligat, & nova ipse aliqua, si res postulet, proprio marte invenire, & demonstrare possit: uno verbo, ut probè sciat, quibus terminis hæc disciplina definitur; quibus principiis, & subsidiis gaudeat; quæ facilior semita ineunda; quis tristes tenendus, quæ vertenda clavis; quis clavus figendus; quid omitendum, quid diu versandum; quæ methodus, quis ordo, qui libri; quæ figurarum analogia, & classis; quis modus cuiuslibet problematis solvendi; atque alia hujusmodi, quæ jam suprà indicavi, breviter exposui; tam Geometram esse volo, non prorsus Tyronem, non tamen ita studiis Geometricis immersum, ut ab iis avelli non possit; sed ita in iis versatum, ut, cùm res feret, facile illam expedit.

C A P U T IX.

De Philosophia.

1. **O**peræ pretium erit nonnulla de Philosophia in medium afferre, quæ ad rem Euphyandri faciant: illud porro genus Philosophiæ amplectatur oportet, quod & mentem illius præclarè instruat, & illius ingenio dignum sit: ut autem multa sectarum genera antiquitas habuit, quæ ad quatuor commode referri poterant, scilicet ad Academicos, Stoicos, Peripateticos, Epicureos; ita nostra hæc tempora diversa Philosophorum genera tulerunt, quæ ad quatuor etiam capita revocari possunt, scilicet ad Scholasticos, Democriticos, Pyrrhonios, & Peripateticos legitimos. Scholasticos illos appello, qui probabilia dnt taxat contestantur, & de re quapiam in utramque partem disputare, & quidquid volueris propugnare solent: Pyrrhonii ab iis longissime non absunt, nisi quod nihil penitus sciri posse obstinatius contendunt; cum tamen illi, licet ipsi nihil sciant, & mera opinandi libertate ducentur, tantâ acrimoniâ omnem scientiam è medio non tollant. De Democriticis, & Epicureis hujusce temporis, nihil est profectò, quod dicam, cum satis per se ipsi noti sint; Peripateticos demum illos voco, qui placitis Aristotelicis, non fucatis, & depravatis, non corruptis, & in contrarium sensum detortis ita adhærent, ut tamen ab eo discedant, si quando vel Divina fides jubeat, vel perspicuum experimentum cogat, vel evidens ratio persuadeat.

2. Ut valde probo ultimum hoc Philosophiæ genus, & in aliis omnibus aliquid vitii reprehendo, ita nullum aliud Euphyandro commendare possum: nolo tamen illum in aliis ita peregrinum

num esse , ut singularia cujuslibet fundamenta ignoraret , & quid quis dicat nesciat : nempe volo illum in Scholastico , & litigioso illo Philosophiae genere optimè versatum esse : ne forte ab iis , qui nihil aliud magni faciunt , ut rerum ignarus , parvifiat ; volo etiam , ut Democriti , & Epicuri dogmata , vel somnia apprimè teneat , eosque libros diligenter , cursim tamen evolvat , qui de iis egerunt ; inter Recentiores , Gassendus in hoc genere , & Icriptorum mole , & castigato dicendi modo palmam tulit : de Pyrrhoniiis non aded laborandum est , cum nihil adstruant , nec difficile sit illorum ictus declinare , & tela retundere : quod autem Peripatetici reliquis præferendi sint , vix in dubium revocari potest .

3. Democritici , vel Epicurei è re tua non sunt , nec ab iis quidquam discere potes ; quia nihil demonstrant ; inducunt ea corpuscula , quæ nunquam experti , per otium ipsi somniarunt , hamatas , & uncinatas atomos comminiscuntur , ut inde corporum moles concrescat ; sed profectò alius corporum plexus est , & cuncta hæc sine ratione omnino excogitarunt ; imò innumera sunt , quorum ipsi nullam rationem afferre queunt , nisi forte aliquid ridiculom audire velis ; nullum habent motuum principium , sensuum , rarefactionis , compressionis , diffusi luminis , reflexionis , rarefactionis , colorum , operationum mentis , facultatum animalium , motuum appetitus , libertatis hominum , ratiocinii , illius nisus , quo tam enixè natura vacuum fugit , accensi , & extinti ignis conicæ flammæ , &c. nullam Logicam ipsi admittunt . Et verò non admodum Logicis præceptis indigent , cum nihil penitus demonstrent ; nullam quoque sciunt Metaphysicam : hinc prorsus ignorant , quid sit Causa , quid actio , quid substantia , quid accidentens ,

cidens, quid locus, tempus, extensio, motus; hinc licet de motu locali copiosè, & eleganter differant, motum tamen ad sua principia reducere nesciunt; imò ex neglectu, vel ignorantia Metaphysicæ in Physica nihil habent, quod pro certo afferre possint; hinc ubi principia Metaphysica desunt, omnes scientiæ deficiunt, quæ à Metaphysica sua principia accipiunt, vel ad Metaphysicam sua reducunt.

4. Pyrrhonii, Philosophorum nomine digni non sunt, cum ignorantiae potius, quam sapientiae partes agere videantur; quid enim ab iis disceres, qui nihil se scire profitentur; equidem ego longè malum cum iis sentire, qui nihil sciri posse sentiunt, quam cum iis, qui tam absurdæ, & ridicula defendunt; itaque restat, ut, si quid in Philosophia cum recta ratione consentiat, illud ab iis expectes, qui partes Peripateticas sequuntur; in hoc tamen cautiùs agendum est, nam etiam nonnulli suas tricas hoc illustri nomine tegunt, ac insigniunt; hinc nomen Peripateticorum sibi vendicant, licet toto Cœlo differant; illi enim ex principiis jactis suas propositiones demonstrant, hi verò vix ex probabilibus sua concludunt; illi uni dumtaxat evidentiæ sese submittunt, hi mera opinandi licentia ducuntur; illi res præclaras, & scitu dignas exponunt, hi fabulas, & tricas; illi nulla præoccupatione ducti de rebus sincerum judicium ferunt, hi animum præoccupatum cum habeant, quid mirum, si fœdè labantur; illi unius veritatis amore flagrant, hi contentionis, & æternæ litis; illi unam lucem amant, & querunt, hi tenebris ultro sese involuunt, ut errores melius lateant; illi demum Aristotelem ducem sequuntur, & clarissimos illius sensus explorant, hi verò Aristoteli plurima affingunt, quæ nunquam illi in mentem venerunt.

5. Porro Peripatetica Philosophia in his præsentim posita est, quod ex principiis Aristotelicis suas demon-

demonstrationes construat; Principiis inquam, quæ ab omnibus sine ulla controversia admittuntur, quale est illud metaphysicum universalissimum: *contradicторia non possunt simul esse, aut simul non esse;* nec enim de iis ago, quæ in controversiam vocantur, & à scholasticis Aristotelī affinguntur, v. g. de materia prima, de qualitatibus, de speciebus intentionalibus, de continui compositione, de composito Physico, de causis, atque alia hujusmodi, de quibus nunquam Aristoteles somniauit; agnoscit quidem materiam primam, non tamen ullam entitatem physicam, sed meram, & puram potentiam, quæ nec sit ens, nec quale, nec quantum; agnoscit qualitates; non tamen ita, ut omnes sint entitates physicæ; sed quæ adduci solent, ut interrogato quale respondeatur; v. g. si quæram à te, qualis sit ille homo, respondere poteris, esse nobilem, principem, divitem, pauperem, fidelem, &c. an fortè hæc entitates physicas important? agnoscit formas sine materia, non tamen entitates illas, per medium diffusas; componit continuum ex quantis, in infinitum divisibilibus potentia, nunquam tamen somniauit continuum esse actu in infinitum divisibile, in ea scilicet, quæ actu insunt, sed potentia, nec infinitas partes actu existentes agnovit; compositum Physicum, id est corpus naturale descripsit, constans scilicet ex materia, forma, & privatione, non tamen formam ita intelligit, ut vulgo creditur, hoc est entitatem quandam physicam absolutam, quæ saltem per miraculum seorsim existere possit (non loquor de anima rationali) sed meram rationem respectivam, quæ dat esse rei, id est qua corpus est hujus esse, generis, rationis; causam efficientem ponit, quæ sit principium motū, non tamen talem esse vult, quæ per veram actionem semper aliquid vere producat, ut patet in his exemplis, quæ ipse adducit: itaque veri Peripatetici Aristotelis verba accipiunt, juxta natum,

vum, & literalem sensum; & si quando vel divinæ fidei, vel novis experimentis, vel evidenti rationi repugnet, ab eo cum bona venia discedere non verentur.

6. Cum igitur veri Peripatetici ex principiis communibus suas propositiones demonstrent, illam methodum in tradenda Philosophia ceteris antepono, quæ per seriem propositionum ex iactis principiis demonstratarum progreditur; hæc est illa methodus Geometrica, quam omnibus enixè commendare soleo, & quam in Philosophia adhibeo; ut autem tota Philosophia quinque partibus constat, Logica scilicet, metaphysica, physica, Theologia naturali, & doctrina morum, ita in omnibus, methodum illam adhibendam esse censeo: in Logica cuncta Geometricè demonstrabis; habes enim certa, & evidenter principia, ex quibus perfectum, & absolutum humani ratiocinii artificium demonstras; præ ceteris autem artificium consequentia, quod, mihi crede, tibi necessarium est, ut scias, quid ex quolibet sequi possit, quid ex terminis, quid ex propositionibus omnis generis, quid ex qualibet suppositione, quid ex quolibet sensu &c. Habes deinde artificium Enthymematis, syllogismi categorici, utriusque analysis, inveniendi medii, syllogismi hypothetici, disiunctivi, copulativi, expositorii, modalis. Adde proprietates demonstrationis, & affectiones syllogismi; cuncta hæc saltem majori ex parte apud Aristotelem legere poteris, quia tamen digesta non sunt, sed valde incomposita, donec aliquid melius occurrat; habes Logicam nostram analyticam, quam Mousnierius in propositiones digestam evulgavit.

7. Nonnulli erunt, quibus res exucca, & arida esse videatur; sed quid veritate succosius, quid demonstratione pinguis animo esse possit, non video; arida res erit Geometria, vel Arithmeticæ; si pura, & abstracta, ut vocant, veritas arida censeatur;

quid-

quidquid sit, apud omnes constat, humani ratiocinii facultatem ea vi pollere, quia mens unum ex alio recte, & directe concludat; dubium tamen non est, quin multus pateat errandi campus, nisi ars certis, & demonstratis regulis naturali facultati succurrat. Porro ars illa, quae animum instituit ad recte ratiocinandum, est Logica; non illa, quae de universalibus duntaxat, de ente rationis, de relationibus, de habitibus fusè disputat, quid enim hæc ad Logisticam; sed illa, quae artificium ratiocinii demonstrat; utrum verò nostra hujusmodi sit maturo Euphyandri judicio dirimendum relinquo; nonnullos appellare possem maximi ingenii viros, qui eam veræ, & legitimæ logicæ locò habeant; jam aliàs adduxi pro hac causa testem omni exceptione maiorem, scilicet P. Antonium Perez, quem immatura morte extinctum, adhuc lugemus, & de quo per honificam mentionem fecimus in epistola ad Mousnerium, in 2. appendice nostræ metaph. quanquam infra viri merita, quae stylum elegantiorem postularent, sed nonnullis non placet; esto: non tamen illi unquam, quid displiceret, significarunt; non methodus, quae Geometrica est; non veritas, quæ demonstrata; non rerum, & demonstrationum copia, quæ potius laudari debuit; non brevitas, quæ rem non obscurat, & innumeras repetitiones rescindit; non obscuritas, si enim gradatim procedas, nihil est, quod statim non intelligas; non perdita, & lusa opera, nemo enim unquam Logicam ea forma tradiderat; imò scio, multos esse, qui, cùm illam sibi familiarem fecissent, non mediocreiter inde instructi fuerunt ad aliàs disciplinas sibi comparandas; igitur non video, quid in illa displicere possit, licet forte multa in iis, quibus displicet, non parum displiceant.

8. Metaphysica Logicæ succedat oportet; Metaphysicam autem voco rationum universalium scientiam; multi illam scholastico, & litigioso modo tradi-

tradiderunt; ego Geometricam methodum induxi in Metaphysicam nostram demonstrativam, in qua, nisi valde fallor, affectiones rationum universalium, ex facilibus, & simplicibus principiis demonstravi: sed omnibus non probatur; quis unquam omnibus placuit? multi tamen non mediocri doctrina, exquisitique ingenio praediti homines illam probarunt; & ne multos appellem, quod mihi facile factu esset, unus ad instar omnium erit P. Martinus Esparsa, in Collegio Romano sacre Theologiae Professor, vir sanè & facilis, & sublimis ingenii, acerrimus in refutando, in propugnando firmissimus, qui & sublimia ad vulgi Scholastici captum ita deprimit, & communia, ad Doctorum gustum ita extollit, ut plebejus infimis, Doctoribus verò sublimis esse videatur; ille autem ultra mihi non semel significavit in decimo libro, qui est de extensione, ita rem propositam demonstrari, ut evidens, & perspicua illi esset; at si quid difficultatis toti volumini insit, decimo libro præsertim inest: hinc quisquis ea, quæ libro illo continentur, pro demonstratis habet; reliqua haud dubie non respuet: sed angustum quidpiam est, pressum, & strictum; at meo saltu judicio, brevitas illa claritudini non officit. Et verò, mi homo, si ex tuis illis grandioribus tomis centies repetita expunxeris, vix aliquid in manibus reperies. Methodus Geometrica id saltem commodi inducit, quod idem sæpe non repetit: si forte illa non placet; tibi, tuoque genio imputa. Cæterum dum aliquid melius occurrat, Metaphysicam nostram Euphyander sibi familiariter faciet, inde enim notiones illas eruet, quarum opera, reliquas disciplinas sibi facile comparabit.

9. Et verò hujus superioris disciplinæ præsidio cùm aliqui carerent, nihil prorsus in reliqua Philosophia ad ultimum finem perduxerunt, & cùm de motu, v. g. disputarent, ignorabant quid esset motus; nonnemo doctrinam nono. lib. traditam, quæ est de tempo-

tempore, refutare conatns est; quo eventu? viderint docti, & judicent: resellit definitionem instantis Physici, quod dico esse indivisible actu, & divisibile potentiam; ut *ibidem* clarissime explico; ipse contra instat, & contendit, æquè dici posse, divisibile actu, & indivisible potentiam: quasi verò aliquid, non dico esse, sed concipi possit, divisibile actu, quod multis non respondeat, cùm scilicet ex multis constet. Sed coextendi posse multis, iisque adæquatè, ac omnino respondere, & adæquari; idem est, ac divisibile potentiam. Sed cum iis adversariis agendum est, qui saltem quæstionis controversæ terminos intelligent: si enim contra negantem principia disputandum non est; multò minus contra ignorantem terminos. Et verò ea de actione, de instanti Physico, de æternitate Dei adducit, quibus manifestum fit, in iis illum parum versatum esse; hic tamen exultat, & insultat, suum Gassendum appellat, hac tantum triobolaribus Philosophis arridere pronuntiat, interfutiles argutias reponenda esse: expectabam, ut vel unam ex iis propositionibus, quæ 9. illo lib. continentur refutaret; ipse verò intacta omnia reliquit: unam definitionem nominis, quod fieri non debet, impetiit; neque illam, ut par erat, intellexit: sed ne futor ultra crepidam, nec coriacius extra corium. Cogitaram quidem hominem resellere, sed in singulis verbis hærendum esset, nam in singulis ferè peccat: spongiatimuit, cùm totus liber macula esset: adde quod saponem perdere piguit. De hoc tamen sorte alias, si Genius suggerat; ex professo agam.

10. Metaphysicâ instructus, ad Physicam se accingat; non litigiosam illam, quæ pura Metaphysica est, & meras tricas continet; non Democriticam, quæ sine principiis procedit, & cùm Metaphysicam non supponat, res ferè omnes dubias, ac minimè decisas, & definitas, relinquunt: omnia reducit ad motum, sed quid sit motus, & ex quibus

confitet, ignorat, nullumque motū principium habet: ad figuram; sed nescit, quid sit figura, quid extensio, & unde: ad inane, & vacuum, sed rationes non assert, tot, tantorumque effectum, qui ex vacui metu, ex compressione, ex rarefactione, extensione sequuntur. Igitur cùm Physica in eo potissimum posita sit, ut effectus omnes naturales ad suas Causas reducantur; illam Physicam adhibe, quæ hoc ipsum præstat, ac primò certa supponit experimenta: nec enim de requærerit, propter quid sit; nisi prius noverit, quod sit: deinde ex ipsis experimentis, suas hypotheses deducit, & statuit, & ex his axiomata Physica, præterea, quæ ex Metaphysica accersit. His autem jactis quasi fundamentis, de singulis effectibus demonstrat propter quid sint: vix crediderim, in rebus Physicis, meliorem methodum adhiberi posse: non autem assurgit Physica saltem ut plurimum, ad demonstrationem geometricam, cùm Physica illi tantum congruat; cuius certitudo, sensus, ut pars est applicati, non vitiati, nec delusi certitudinem adæquat. Et verò modò in Physica æquè mihi certum sit, & perspicuum, tam effectum, à tali causa procedere; ac certus sum, quod hæc modò scribo: mihi satis esse debet; nec majorem certitudinem expecto.

II. Hoc autem ordine rem Physicam Euphyander aggredi debet, ut primò ab iis initium ducat, quæ sub sensus cadunt: ego sensibiles corporum status vocare soleo, qui sunt, de corporeo quanto, id est de extensione, impenetrabilitate, divisione, plexu, & figura corporum; de raro, & denso; de tensione, & compressione; de perspicuo, & opaco; de gravi, & levi. His succedat longa tractatio de motu corporum, sive à gravitate, & levitate, sive à compressione, & tensione, sive à motore ext in seco procedat. Et verò hæc doctrina motuum adeò necessaria est, ut sine illa, altius in Philosophiam penetrari

netrari non possit. Prosequatur deinde alios corporum status, v. g. de humido, & sicco, pingui, & arido, tenui, & crasso, flexibili, & rigido, molli, & duro, fragili, friabili. & liquido, spirabili, dulcili, &c. tum de calore, frigore, luce, & lumine, coloribus, & sonis, saporibus, & odoribus; tum de sensibilium qualitatum activitate, agendi modo, diffusione, Sphærâ activitatis, oppositione, pugna, refractione, reflexione, intensione, destructione, antiperistasi, &c. His autem peractis, corporis Physici substantiam propius attinget, agerque de corporis compositione, principiis, materia, forma, unione, privatione, generatione; tum de corpore simplici, & quatuor elementis; deinde de mixtis imperfectis, tum de perfectis, de corpore Cœlesti, de plantis, & animalibus, ac demum de homine. His terminis Physicam definio, & intra illos fines, in numeros serè sensibiles effectus demonstro, & multis somis complector.

12. Physicam, hoc est rerum corporearum scientiam, incorporearum scientia, quam Theologiam naturalem vocare soleo, excipiat: illa autem de Deo, divinisque attributis, de Angelis, & Angelicis facultatibus, de anima rationali à corpore segregata, quantum naturali ratione consequi, & assequi potest, demonstrat, ex jactis scilicet Principiis, partim ex Metaphysica, partim ex Physica accersitis; neque hæc Philosophiæ pars iis laborat difficultatibus, quas in re Physica sentimus: cuncta valde facilia, libera, & minimè implicata occurruunt. Denique moralis Philosophia agmen claudit, quæ non modò, ut vulgò fieri solet, de actionibus humanis, earumque affectionibus agit, de virtutibus, & vitiis, de cupiditatibus, de naturali hominis fine; verum etiam novam morum analysim tradit, & artem vitæ ùt vocare soleo; docetque artificium consequentias moralis: quæ, quid ex alio volito, ùt prudenter

agamus, velle debemus. Item artificium cognitionis sui, & aliorum, artificium conjecturæ, artificium determinationis, & electionis, usum bonarum, & malorum, artificium virtutum, artificium habitudinum, artificium demum œconomicum. Hæc autem ars suis Principiis instructa est, partim propriis, partim petitis à superioribus disciplinis. Quare in hac etiam parte methodus Geometrica adhibenda est; ego saltem illam adhibui: hinc habes tertium demonstrationum genus, scilicet moralium, quæ moralem duntaxat certitudinem praferunt: quamquam in his tribus partibus, multa sunt Geometricè demonstrata: reliqua verò eo de demonstrationis genere, cuius subiecta materia patiens est.

13. Porro Geometriam Philosophiæ præmittendam esse arbitror, cùm omnes Philosophiæ partes eam supponant. Logica, & Moralis multam analysim postulant; hæc autem Arithmeticâ carere non potest. Metaphysica non modicam Geometriam adhibet, ubi agit de tempore, motu, extensione, infinito: sua quoque analysis illi non deest, pro resolutione, & conjugatione suorum universalium. Physica suos effectus variis proportionibus implicat, ac proinde exolui, & explicari non possunt; nisi Geometria, hoc est proportionum scientia adhibeat. Igitur omnes Philosophiæ partes Geometriæ operâ indigent: restaret, ut nonnullos auctores Euphyandro meo indicarem, qui de tota Philosophia egregie scripserunt, ut reverè multos afferre possem. In methodo plures appellavi: sed quia nullum hactenus videre potui, qui res Philosophicas, Geometrica methodo explanarit, quam tamen unam, ut certam, errorique minimè obnoxiam probare videor; nullum Euphyandro, quem omnino probem, indicare valeo. Rem hanc ad umbilicum perduxì: Mousnerius præluserat; ego seriùs egi, & totam Philosophiam multis voluminibus complexus sum: in hoc opere Eu-

phyane.

phyander non nihil fortè habebit, quod è re sua esse inveniet; methodum saltem probabit, & ordinem illa enim Geometrica; hic verò idem qui rerum est, Primum, & secundum volumen Logicam, & Metaphylicam continent, utramque multis demonstrationibus auctam: alia, quæ deinde sequuntur, rem Physicam; in qua reperies plusquam centena millia demonstrationum, hoc est sensibilium effectuum ad suas causas reductorum: ultimum denique Moralem philosophiam eadem methodo traditam. Ingens reverè ausum! quod si fortè minus succedat, non deerunt, qui conatum, & animum viribus imparem laudent. Sed tua prædicas, inquies; absit: imò pro nugis habeo; id unum duntaxat prædico, quod in votis esset, quódque nec apud me, quem probè novi, nec apud alios invenio.

C A P U T X.

De reliquis Matheos Partibus.

1. **U**T Geometria, & Arithmetica Philosophie præmittendæ sunt; ità Philosophia reliquis Matheos Partibus præmitti debet: nempe ista Philosophia, & Philosophia Geometriæ præsidio indigent. Omitto Geometriam practicam, quam simul cum theorica Euphyander sibi comparare potest: nec enim res magni momenti est. Alias in quatuor ordines distinguo: in primo, Astronomiam colloco; in secundo musicam; opticam in tertio; staticam in ultimo. Quòd autem Euphyander res istas scitu dignissimas nescire non debeat, quis amabò ignorat? cum enim non difficilè discere valeat; certè vitio, & probro ipsi verteretur, eas nescire: nolø tamen illum totum se iis dedere, quod certè non sine laude aliqui faciunt; nec eum tam angustis sciendi finibus sese continere, quem ad ultimam omnium disciplinarum metam pervenire desidero: hæc enim digna est Euphyandro provincia, hæc debita Sphæra,

hæc

hæc propria confinia; & tam longè illius ingenium excurrit, quām longè latēque patet omnium scientiarum campus.

2. Præfatæ Matheseos partes in sua membra di- vidi solent; v. g. Astronomia in Cosmographiam, Theoricam, Canonicam, Organicam, & Gnomoniam. Cosmographia totius orbis constructionem, tum in Sphæra, tum in planisphærio considerat; cœlestes circulos, eorum situm, ascensiones directas, & obliquas, arcus diurnos, & nocturnos, parallelos, crepuscula, longitudines, latitudines, declinationes, syderum ortus, projectionem hemisphærii in planum, locorum distantias. Hæc est Geographia demonstrativa, de qua supra mentionem feci; multos autem auctores habes, quos consulas; v. g. Clavii Sphæram, Blancani, Maurolici Cosmographiam, Apianum, Gemmam Frisium, Nonium, &c. Theorica, Systemata cœlestium motuum describit, & demonstrat, eaque varia, Ptolemæi scilicet, Copernici, Tichonis, Longomontani; pro quibus, consule, tum præfatos auctores, tum Galileum, Buliardum, Lansbergium, Keplerum, Hypotyposes, quæ Reinoldi esse creduntur; Petavium, &c. unus Ricciolus, qui cuncta in suum almagestum congettavit, sufficere posset. Canonica tabulas Astronomicas calculat, motus computat, & adæquat; adde computum Ecclesiasticum; item Eclipsum, Ephemeridum, Epactarum rationes; habes autem tabulas Ptolomæi, Alphon-sinas, Prutenicas, Rudolphinas, Lansbergianas, Frisias, Parisinas, & præter earumdem auctores, habes Clavium, Petavium, &c. Sequitur organica, quæ organorum rationem, formam, modum, usum, situm, præscribit, atque demonstrat, quibus cœlestes observationes fieri solent, tum in Cœlo, tum in ipso organo, pro his, consulere potes, Gemmam Frisium, Steflerum, Roias, Clavium, Tichonis mechanica. Gnomica denique describit sectiones orbium Cœle-

stium omnis generis, in planis, scilicet horizontalibus, verticalibus, declinantibus, inclinantibus, &c. pro his habes Maurolicum, Schonerum, Clavium, & alios passim; multa de hydrographia habes apud Fournerium; & de horologiis, quæ per reflexum radium sunt, plurima apud Magnanum.

3. Musica duplex est, practica, & theorica; prima illa, ut Euphyander careat, facile patiar; Theoricae prorsus ignarum esse, non probo præsertim cum brevi ex ea discere possit, quæ necessaria esse videntur, v. g. quæ sit ratio cuiuslibet consonantiae, diapason scilicet, diapente, diatessaton, &c. Item cuiuslibet dissonantiae; quæ rationes, & proportiones chordarum, in longitudine, crassitudine, tensione, gravitate; tum etiam quæ sit ratio organorum, & tuborum musicorum pro diametro, longitudine, sordinibus figura: varii sunt auctores, qui de musica scripserunt, v. g. Jacobus Faber Stapulensis, Boetius, Cassiodorus, Zarlinus, Vincentius Galilæus, hi duo Italici; Meostennus denique omnia ferè congregavit in tomum ingentem, quem deinde satis contraxit, & in compendium rededit; habes denique Musurgiam Kircheri, qui adhuc plura congregavit.

4. Optica tribus partibus consistat, scilicet perspectiva, catoptrica dioptrica: prima considerat radius directum, angulum visorium, &c. horopterem definit, fallacias explicat, item rationem distantiarum, locorum, figurarum, magnitudinem, motuum, situum, umbrarum, luminum, trajectorum, decussationum, projectionum, &c. Catoptrica de radio reflexo agit, de angulo reflexionis, de speculis, planis, cavis, convexis, cylindricis, conicis: de radiorum collectione, distractione, conjugatione, viribus, contractione, explicatione, de figurarum deformatione, reformatione, &c. Dioptrica demum radius refratum contemplatur, ejusque varias affectiones, lumenis focos, vitrorum figuras, telescopii rationes, refrac-

refractionis angulum, ex quo sit, ut radii, modò paralleli eant, modò in unum punctum coëant, modò perinde se habeant, atque si ab eodem centro profecti essent: auctores pro hac facultate non desunt: habes enim Vitellionem, Aquillonum, Zuchium, Maurolicum, Kircherum, Rogérium Bacconem, Cartesium, Magnanum, Kepleri Paralipomena, oculum Scheyneri, Ghetaldum, Guidubaldum, Nisseronum, Cartesium, quibus addesis nostram synopsim.

5. Statica, quamquam ultimo loco posita, ultimum tamen non tenet; illa autem considerat, rationes, & proportiones ponderum, momentorum, virium; illa de Machinis agit, libra scilicet, vecte, trochlea, axe, cuneo, cochlea, rotis denticulatis, &c. in quibus considerat proportiones distantiarum, motuum, temporum, &c. hinc à nonnullis mechanica, hæc disciplina vocatur: agit etiam de centro gravitatis in lineis, planis, solidis, mira profectò subtilitate; item de motu naturaliter accelerato, in perpendiculari, in plano inclinato, in arcu quadrantis pro funependulis; item de motibus tensorum, & compressorum, in Balistica; de fontibus artefactis, & aquarum jactu, fluxu, rapiditate, alveo, déque innatantibus humido, in Hydraulic; de ignibus artefactis in pyrotechnia; de ventis, & Æolipilis in pneumatica: auctores autem, qui de his rebus scripsierunt, varii sunt, de Centro gravitatis Lucas Valerius, Guedinus, Lafaille, Cavalerius; de Potentiis Guidubaldus, Galileus; de innatantibus, Archimedes, Gheta'dus, Galileus; Mersennus de Balistica, pneumatica; &c. de motu, Galileus, Torricellus, Bordellus de omnibus ferè, Betinus; de Currentibus aquis, Benedictus Castellus &c.

6. Dissimulare tamen non possum, nonnullos etiam ex iis, quos supra citavi, in fœdos paralogismos aliquando impegiisse; nempe Geometria, ubi materiæ Physicæ conjungitur, & à sua puritate de-

sciscit, modica saltem impuritate inficitur, non sive
macula, & ruga; hinc multa multi, vel sine demon-
stratione proponunt, aut pro demonstratis jactant,
quæ tamen ipsi nullo modo demonstrant: & verò,
vix fieri potest, ut illi auctores, qui majora volumi-
na in lucem edunt, adamassim & accuratè cuncta
demonstrent; veritas tantæ molis, capax non est; &
ut in multiloquio, iniquitas non deest, ita nec fal-
sitas in longiore scriptione: hinc libri illi ad instar
campi longè, & latè patentis esse videntur, qui ali-
quot plantas veneficas, bonis, & salubribus admixtas
germinat: & verò illa librorum moles mihi semper
suspecta fuit; præsertim in re Geometrica; aut enim
mera farrago est, & inutilis jam dictorum repetitio;
aut certè si novæ res sunt, paulò negligentius di-
scussas esse, oportet; cum tanta rerum multitudo,
& copia sub examen cadere vix possit; quare rerum
delectus ab Euphyandro habendus, si que libri cautè
legendi, ne ipse in errorem inducatur; quamquam
ille nullo negotio huic incommodo occurret, in modò
coactus duntaxat, vi quadam demonstrationis, rei
propositæ assentiatur, & nisi demonstrata sit, om-
nem sustineat assensum.

7. Quòd autem præmissis illis disciplinis, quas
mathematici sui juris fecerunt. Euphyander dare
operam debeat extra, omne dubium est; tum qui
non modò utiles, verùm etiam jucundissimæ; utiles
esse apud omnes constat, ad Philosophiæ cumulum,
& perfectionem; nisi enim v. g. Musicam Theori-
cam intelligas vix sonorum rem; saltem ut par est,
intelligas, nec eos sonorum, & vocum effectus, qui
à talibus proportionibus procedunt, ad suas causas
reducere poteris, nisi musicam scias, quæ propor-
tiones illas demonstrat: pari modo, vix tractatum
de corpore Cœlesti perfectè capies, vix Cœlestium
orbium motus ad sua principia reduces, nisi aliquam
Astronomiæ operam adhibeas; nunquam sine opti-
ca

cæ præsidio, probè scies visionis modum, & affectiones, rem colorum, luminis diffusionem, refractionem, reflexionem; denique, ut multas proprietates gravium, motuum, nisuū, &c. apprime teneas, statica profecto adhibenda est; igitur nullum dubium est, quin præsatæ disciplinæ utiles sint, cùm multam lucem Philosophiaæ afferant, non sine magno ejusdem incremento.

8. Nec est, ut dixi sine jucunditate utilitas; quid enim jucundiū excogitari potest, quām optica; tum rerum, quas demonstrat pulchritudine, tum varietate; utpote quæ ignaris rerum illarum hominibus admirationem, & stuporem concilient, cùm tamen illæ ex facilioribus principiis demonstrentur; quid inquam jucundiū, quām scire, cur imago, quæ per radios directos deformis appareat, per obliquos, vel reflexos, vel per refractos, pulchra videatur; cur speculum convexum objectum minuat, concavum augeat, Cylindricum altitudinem integrum servet, latitudinem plurimū contrahat; cur polyoptrum objecta multiplicet, & colligat. Adde Scenographiam, quæ in eodem plano res exhibet, perinde atque si in diversis essent; hinc mirificæ contractiones; res telescopii jucundissima est, cùm etiam iis, qui sine scientia praxim duntaxat adhibent, non modicam voluptatem afferat: denique radiis visualibus ad libitum uti, eosque ad instar ceræ mollis modo explicare; modo contrahere, modo in punctum, modo in lineam colligere, modo parallelos, modo distractos agere, perinde atque si vel ad idem punctum tenderent, vel ab eodem profecti essent, quis neget, hæc digna esse, quæ ab Euphyandro sciantur.

9. In Astronomia, non defunt, quæ animum mirifice oblectent; si enim aliqui, non sine maxima voluptate, varias orbis partes, & regiones adire, & lustrare solent, an forte jucundum non erit, orbem universum uno quasi obtutu, ac prospectu lustrare,

in globo, & mappa ; temporis ferè momento omnes mundi partes oculis subjicere, regna, & imperia, maria, flumina, regnum confinia, situs amplitudines, locorum mensuras, longitudines, latitudines, distancias ; in Sphæra, orbium Cœlestium motus, dierum differentias, obliquitatum rationes, & effectus, climata, crepuscula, aliisque id genus ; Theorica etiam suas veneres habet, dum tam diversa systemata exponit, & in eodem planeta tam varios motus observat ; v.g. centri, orbis, apogæi, declinationis, turbinationis, librationis, accessus, atque recessus : Gnomonica non modicam admirationem afferret, nisi adeo vulgaris esset ; quid enim mirabilius, quam extremo stylo, in palmo plani, Cœlestium motuum mensuras accuratissimè signare, & omnium orbitarum sectiones, tum curvas, tum rectas, ita, ut moetus, & immotus stylus Cœlestium motuum, quasi doctor, & arbiter esse videatur.

10. Statica tantam rerum sylvam exhibet, ut omnia ferè complecti videatur ; & quisquis eam ignorat, nihil ferè scire censendus sit ; hæc centrum gravitatis in omnibus figuris planis, & solidis indagat ; illa centrum percussionis non ita pridem reperit ; & non modò ponderum vires, & momentorum rationes demonstrat, quod jam olim præstigit, verum etiam multis partibus auctior facta in resistentia corporum, mirabiles proportiones invenit, itemque in motu locali, tum naturaliter accelerat, tum æquabili, tum violento ; adde motus in planis inclinatis, & mixtos omnis generis, tum reflexos, & refractos ; item varias lineas, quasi signata motuum vestigia, item varias impressiones, & determinationes ; in solidis funependulis, dum hinc inde librantur, innumera ferè demonstrat, antiquioribus prorsus incognita ; omitto alia ferè innumera in tensis, pressis, jactis, de qua nisi Euphyander sciat multarum, & pulcherrimarum rerum ignarus reputabitur, quas scire facile posset.

11. Musica, Theorica scilicet, nec enim practica ad rem Euphyandri multum facit, quem Cantorem esse magnoperè non euro, nisi forte ad aliquam animi relaxationem musicam adhibeat; Theorica, inquam, multa exponit, quæ & scitu dignissima sunt, & magna voluptate animum perfundunt; mira est vocum, & sonorum varietas, quorum Causas, & rationes hæc disciplina exponit; quod sua profectò difficultate non caret; nec enim tam facile discernitur, quænam sit ratio editi soni, vel pulsati nervi, vel campanæ, vel tubæ, vel fistulæ, vel litui, & cornu; deinde cùm soni suis numeris adstringantur, varias in iis proportiones musica demonstrat, vel gratas auribus, vel ingratas; id est vel consonas, vel dissonas; hinc de consonantiis, & dissonantiis longa tractatio; quid autem faciat ad diversas illas sonorum rationes chordæ longitudo, crassitudo, tensio, materia, quid hujus, vel illius foraminis obstructio in fistula, quid ejusdem fistulæ magnitudo, & os, quid campanæ moles, figura, &c. Hæc, & alia hujusmodi animum magnoperè delectant, præsertim cùm, ut jam suprà dixi, eorum rationes & causæ satis abstruse sint.

12. Itaque in hujusmodi disciplinis Euphyandrum versatum esse desidero, quæ non modicam sapientię faciunt accessionem; licet autem inter mathematicas recenseantur, hoc tamen non facit, quin multam Physicam præferant; hinc eas Physica sui juris faceret, nisi usus obtinuisse, ut à Mathematicis traderentur; equidem Physicus Geometriae, & Arithmeticæ præsidiis instructus esse debet, ut eas explanet; & vicissim Mathematicus Physicæ operâ destitutus, eas demonstrare vix potest; hinc sive Physicus eas sibi arroget, modo Geometra sit; sive Mathematicus eas sibi vendicet, modò Physicus sit, perinde est; materiam suam habent à Physica, igitur eas Physicus, ne sui objecti partem relinquat, non

omittet; formam & proportiones habent à Geometria; igitur Geometra, qui proportionum scientiam habet, eas nescire non debet, ne objectum, quam scientia, latius excurrat: uno verbo: quisquis hujusmodi disciplinas ignorat, nec perfectus Physicus, nec absolutus Mathematicus censendus est; quare ne hoc vitio, & probro Euphyander meus laboret, eas diligenter sibi comparet, vel absoluta Philosophia, vel quod satius esset, unà cum Physica; v. g. rem Astronomicam discutiet in tractatu de corpore Coelesti; opticam, ubi aget de sonis, & auditu; staticam passim, ut cum de gravi, & levi, de compressione, & tensione, de potentia motrice, &c.

C A P U T XI.

De Theologia.

1. HÆC illa est, in qua forte jam dudum triphas, palæstra, mi lector, in qua gloriose sudas arena; ille campus, in quo laxis habenis discursis, & singularis illa Provincia, quam ita alacriter suscepisti, ita in ea strenue te geris; nec dubium cuiquam est, quin ad optatum, & optimum illius finem peruenturus sis; quamobrem Theologicus iste apparatus, quem hoc loco recenseo, è re tua vix erit; nec enim via tibi sternenda est, aut navigatio ad ornanda, qui jam ferè terminum, & portum attigisti; non tamen inutilem fore puto, cum scilicet in co lecturus ipse sis, non quod facere debes, sed quod jam fecisti; leges in eo, progressus tuos, & ex ipso portu, alios remigantes aspicies; tritas ante semitas considerabis, & mare sulcatum, releges tuorum laborum, ac studiorum vestigia; uno verbo: si tuis usibus hæc Theologica tractatiuncula non servit, aliis forte, qui vix in hac facultate tyrones sunt, prorsus inutilis non erit?

2. Quod autem Euphyander superiori huic discipline dare operam debeat, pro certo, imò certissimo

fimo habeo, ut paulò pōst luculenter ostendam; nec promisso, ac instituto meo in eo instituendo fatisfactum putarem, si divinam illam facultatem omitterem; essētque, quod is officium illud à me desideraret, quod jam olim Regineldus Polus à Jacobo Sadoleto desideravit; is erat Polus, qui & nobilitate domi, & fortuna amplissimus, cognatos, familiares, Patriāmque reliquisset, & cùm studio, atque amore optimarum artium flagraret, ex ultimis orbis terrarum regionibus, illarum adipiscendarum causā in Italiā se contulisset, ibique annos complures commoratus, itā se dedisset familiaritatibus, amicitiisque doctissimorum, ac præstantissimorum hominū, ut illorum omnium iudicio imprimis dignus esse haberetur, quem & propter fidem, atque integritatem vitæ venerarentur omnes, & propter ingenium, doctrināmque colerent; eūmque summum, & singularem virum, hominēmque ejusmodi existimarent, cui non benevolentiam modò, & honorem tacitum, sed omnia cultūs, & officii aperta, & perspicua studia deberent; Sadoletus verò vir erat omnibus naturæ dotibus, & doctrinæ præsidiis instructissimus, ad omnem humanitatem à natura effectus, in quo excellens quoddam ingenium cum incredibili modestia conjunctum erat, & gravitas quædam, eximia humanitate temperata; ea demum latinè scribendi facultas, qua nemo ætate nostra, Florebello teste, ad illam antiquorum scriptorū laudem propiliis accedere existimatus est: Uterque demum, ne impar meritis honor esset, in sacrum Cardinalium Collegium à Paulo tertio Pontifice maximo unā cum quibusdam optimis, & præstantissimis viris cooptatus est:

3. Polus itaque cum Sadoleto amicè, ut fieri solet, per literas expostulabat, quod, cùm ingeniosum Adolescentem, & puerili institutione abductum, in latum illud omnium artium, doctrināmque pelagus adduxisset, monstrassētque earumdem artium

sedes, & loca, ubi ad tempus insistendum, atque ad
 majora, & ulteriora tendenti commorandum esset,
 nec non ea sic oratione illustrasset, sic artium singu-
 larum vires, & virtutes explicasset, ut propè mon-
 strando, in earum jam possessionem mittere adole-
 scentem videretur, eundem tamen in alieno, atque
 infido Philosophiae portu cum Platone, & Aristotele
 reliquisset, qui reverā, ut de Tenedo dixit Poëta,
nunc tanūm sinus, & statio malefida carinis, nec
 de Theologia, divina scilicet illa disciplina mentio-
 nem ullam fecisset, in cuius portu summa cum ani-
 mi tranquillitate sapientissimi homines conquietur;
 ut ergo Polus vix æquo animo spectabat sacras il-
 las musas, tacitas, & illaudatas à Sadoleto præteriri,
 cùm reliquias omnes artes, & disciplinas dignis præ-
 coniis ornasset; Ità esset, quod Euphyander meus
 meritò mecum conquereretur, si Theologia in hoc
 opusculo suum locum minimè haberet, in quo ta-
 men reliquæ omnes disciplinæ suum invenerunt.

4. Et verò Theologia optimo ingenio, divino
 fidei lumine illustrato, digna res est; de Deo loqui,
 non sapientis modò, sed Christiani Philosophi est;
 & cùm præter ea, quæ naturalis rationis lumine de
 Deo, & Angelis, de immortali hominis animo, de
 virtutibus, & vitiis, de bonis moribus, & divino
 cultu, de recta ratione, & hominis fine cognoscimus;
 alia multa sint, quæ Deus hominibus revelavit, &
 credenda per Ecclesiam proposuit; Euphyander da-
 re operam debet præsertim, si in ordine Ecclesiasti-
 corum vivit, ut res tam sacras, tam arduas, divi-
 nes apprimè teneat, ne & gradu illo, quem inter
 homines obtinet, & excellenti, quo valet, ingenio
 indigens esse videatur: sed quod præcipuum est,
 cùm divina illa hominis captum superent, nisi Cœ-
 lesti quodam lumine recreetur, non mediocre peri-
 culum esset, ne, dum Euphyander vi quadam inge-
 nii, & nova sciendi prurigine altius, quam par sit,

naturalis rationis ductu assurgeret, fœdiūs deinde labetur; hujusmodi lapsuum luculenta suppetunt exempla; terrigenæ Gigantes, dum frustra olim Cœlum peterent, fulmine tacti, terram momordērunt; dum lucifer ad Dei thronum superbè ascenderet, in infimum orcum detrusus est; & Phaeton, dum solis currum per ignotas vias imprudens ageret præceps in terras actus est; igitur hujusmodi casibus Euphyander prudentior factus, divina tractare dis-
cat, & sacram doctrinam, quam vulgo Theologiam vocamus, ubi faciat familiarem.

5. Divinâ istâ disciplinâ cùm aliqui carerent virialioquin doctissimi, & omnium literarum præsidiis instructissimi, ea profectò circa res sacras pec-
carunt, quæ vix in Catechista tolerari possent: exi-
mia dicendi facultate prædicti sunt, Græcam, imo
& Hebraicam linguam sciunt, in Historia sacra, &
profana versatissimi, nec ignari Ecclesiasticæ tradi-
tionis, Conciliorum rem probè callent, sacros Cano-
nes diu versarunt, sanctos Patres legerunt, & quid-
quid purioris succi inerat, expresserunt: multi eti-
am graviores Mathematicas didicerunt, in Platonica
quoque Philosophia bene versati; adde, si vis, Demo-
criticam, & Peripateticam; ita tamen Theologiae scho-
lasticæ, ut vocant, Principiis destituti, in re fidei
fœdissimè lapsi sunt, & quotidie labuntur: hinc
sæpè accidit, ut hujusmodi homines in Theologos,
& Theologiam Scholasticam invehantur; quod, quia
Lutherus, Calvinus, aliquæ sectarii fecerunt, sus-
pectum saltem esse cœberet; & verò licet Theologia
res Divinæ fidei supponat, ejusdem tamen fidelis
cultus est; cùm divina fides non modò palam, sed
clam impugnari non possit, quin Theologia statim
hostem agnoscat, ictus avertat, admotas machinas
disiciat, argumenta refellat; uno verbo: quidquid
in re fidei parum sanum est, discernat, & reiiciat;
quid mirum ergo, si Theologiam sectarii acriter in-

sectantur, quæ illorum errores discutit, technas aperit, fraudes ostendit, insidias detegit, furias frangit, conatibus occurrit.

6. Hinc meo iudicio nonnulli, qui pro Catholicis haberi volunt, parum prudenter agunt, dum hac in re sectarios imitantur; quam infeliciter res illis successerit, Valla, Erasmus, Vives, Jansenius, aliquique quam plurimi testificari possunt; porro hujus farinæ homines Melchior Canus, Petavius, Martinonus, Annatus, Dechamps, strenue refellunt; hinc vides rem aleæ, & periculi plenam esse, ubi quis Theologiae imperitus dogmata fidei, vel defendenda contra sectarios, vel probanda, & confirmanda suscipit; nempe ille fidem jugulat, dum illam tueri conatur, & iisdem armis eandem perimit, quibus defendit: hinc, ut praefatus Canus patim, & prudenter monet, sanctos Patres legere parum juvabit, nisi sacra illa doctrina præcesserit; nempe ex innumeris ferè Patrum locis errandi occasionem arripias, nisi Divina illa facultate instructus sis, quâ errores probè dignoscas, & Principia Theologica, & sacra dogmata teneas; idem de Conciliis, de Traditionibus, de Historia Ecclesiastica dictum sit; ut enim hæc inoffenso pede percurras, rei Theologicæ ignarus esse non debes.

7. Itaque Euphyandrum meum in rebus Theologicis versatissimum esse desidero; est autem Theologia scholastica ordinis supernaturalis facultas, & disciplina. Ordinem supernaturalem illum appello, in quo res considerantur cum respectu ad finem hominis supernaturalem, ad quem scilicet Deus naturam hominum extulit, & elevavit, quaæ alioquin naturalibus suis viribus relicta illum obtinere non posset: porro doctrinæ bujus principia duplicis generis esse constat; alia sunt divinæ fidei certa, & indubitate dogmata; alia verò quædam principia naturalia, certa, evidētia; nempe conclusio Theologi-

ca, vel ex duobus principiis fidei, vel ex altero fidei, altero naturali deducitur; quod ad principia prioris generis attinet, illa certa sunt, & obscura; ad hæc autem auctoritas Ecclesiæ, sacri Canones Conciliorum, summorum Pontificum constitutiones in re fidei, sacræ scripturæ loca non controversa, sed communi Patrum consensu explicata, traditiones Apostolicæ ab Ecclesia receptæ revocantur; ad alia vero doctorum auctoritatem, & historicorum fidem reduces.

8. Hinc quisquis Philosophiæ operam egregiè návavit, habéatque naturalia Principia firmata, rem Theologicam facile discutit; nam cùm jacta principia supponat, eaque indubitata, inde facile suas conclusiones eruit, quod certè proprium est Theologi; nempe Philosophus, & jicit principia, & ex iis res suas demonstrat; Christianus divinæ fidei dogmata credit; at Theologus vel ex utroque fidei principio, vel ex altero fidei, altero naturali suas conclusiones deducit, non quidem per veram, & Geometricam demonstrationem, quæ ex certis duntaxat, & evidentibus est, sed per legitimam argumentationem, cuius conclusio certa quidem, sed non evidens est; in hoc autem Theologus potissimum versatur, dixi potissimum, nam si quando res fidei minùs intelliguntur, illos terminos explicat, ex quibus illæ constant; & si ab adversariis sacra illa dogmata impellantur; egregiè defendit: cùm enim verum vero non opponatur, & cùm illa, obscura licet, verissima tamen sint, nihil profectò adduci potest, ex quo falsa esse necessariò concludatur; hinc meritis impugnantur paralogismis, vel iis argumentis, quæ aliquid falsum assumunt; hinc facile vitiosa argumentatio dissolvi, & diffundi potest.

9. Porro ille ordo præ cæteris placet, quem D. Thomas in summatenuit, qui neminem latet: nempe ille ad rerum naturam proprius accedit; nam pri-

ma prima pars de Deo agit, Angelis, rerum creatio-
ne: 1. secundæ actiones humanas, & misericordiam il-
larum economiam continet, & divinam gratiam illi-
lis adjungit: 2. secundæ virtutes Theologicas, &
Morales habet: 3. pars Christum, & sacramenta:
ego summam illam, vel summulam, quam scripsi,
in 9 tractatus distinxii, quibus tum quædam prole-
gomena præmisisti, tum appendicem subnexui: in
prolegomenis ago de Theologia illiusque objecto,
de ordine supernaturali, de locis Theologicis, &c.
Primus tractatus est de Deo; Secundus de Angelis;
tertius de diverso naturæ statu, de ultimo fine, &
actionibus humanis; quartus de gratia, omnisque gra-
tia: genere, de merito, & iustificatione; quintus de si-
de, spe, charitate; sextus de virtutibus moralibus:
septimus de incarnatione; octavus de Sacramentis
in genere; tum de Baptismo, Confirmatione, Eu-
charistia; nonus de Pœnitentia, Extrema Unctio-
ne, Ordine, & Matrimonio; in appendice ago, de
Hierarchia, de pœnis Ecclesiasticis, de diverso ani-
marum post mortem statu, de ultimo judicio, &c.

10. Methodus in tradenda Theologia eadem est,
quam supra laudavi, cum de Philosophia agerem;
qua scilicet præmittuntur principia, & ex his doctæ
propositionum, seu conclusionum catena, seu corona
contexitur; in methodum illam Geometricam supra
vocavi, quod scilicet eam Geometræ adhibeant;
quod autem ad rem Theologicam hæc methodus
faciat, dubitari non potest; cum certa principia ad-
sistat, tum propria, tum ex Philosophia petita; id au-
tem saltem commodi ex illa esset, quod eadem se-
pius repetendi necessest amoveretur; quæ sanè re-
petitio, ut librorum molem amplificat, ita lectoris
animum non parum fatigat; hinc sumptibus, & la-
bore parceretur: tota res composita esset: secunda
primis, secundis postrema succederent; quid plura,
magnum esset tum temporis, tum laboris compen-
dium;

dium; nec non maxima facilitas in rebus quantumvis arduis, & abstrusis definiendis; quælibet pars suis finibus contineretur: hinc nec tanta rerum sylva, nec tanta implicatio esset; nullus nodus Gordius occurreret; nihil ambiguum, & dubium, sed cuncta plana, & explicata essent, & Theologicæ demonstrationis genere demonstrata; sc̄c enim illam argumentationem voco, qua ex principiis certis quidem, sed obscuris ejusdem generis conclusio deducitur.

11. Sed inquies, Theologi, qui scripserunt, illam methodum non adhibent; quid tum? ergo, inquies, hoc saltem peccarunt, non dico peccasse; quis enim ego sum, qui præstantissimos homines erroris insimulem: unum duntaxat assero, præfatam methodum optimam, & facillimam esse, & à Theologis adhiberi posse, cum in rebus Theologicis suum locum habeat; inde rem Theologicam contrahi, non obscurari, toties eadem repetendi necessitatem auferri, tot, ac tanta volumina in pauca redigi, ac proinde rem hanc satis, superque facilitari, fierique animum Theologicæ candidatis, quos alioquin tot, ac tanta volumina legendi necessitas in desperationem ageret; ego hæc duntaxat assero, quæ, cum verillima sint, ut rem hanc attentè consideranti patet, certè non video, quo jure illa reprehendi possint: hoc tamen non facit, quin Euphyandro auctor sim, ut legat summam D. Thomæ, Scotum in lib. sententiarum, juxta scriptum Parisiense, Durandum, Herveum, Mayronem, Ochamum, Capreolum, Sotum in eosdem: legat etiam recentiores, tum Sorbonicos, ut Gamacheum, Duvallium, Isainbertum, tum alias, v. g. Suarez, Vasquez, Tannerum, Amicum, Martinonum, Fasolum, Delugo; omitto innumeros: quisquis enim omnes legendos susciperebat, nunquam legendi faceret finem.

12. Qued à variis varii Theologicæ tractatus in scho-

scholis, iisdem auditoribus, & discipulis tradantur communis ferè moris est ; nec arguo : inde tamen fit, ut nulla sit rerum Theologicarum inter se conexio ; quod certè nemo negabit ; sed ut hoc non improbo, ita valde probarem , ab eodem magistro universam tradi Theologiam, ut simul omnia conexa essent , ex iisdem scilicet principiis deducta ; quod, cùm in Philosophia fieri ceptum sit, licet in publicis Academiis secus fiat, in quibus unus Professor Logicam semper docet, aliis Physicam, aliis Metaphysicam ; non video, cur in Theologia fieri non possit ; sed quid ad me ; illud duntaxat unum Euphyandro indico, & significo, è re potissimum illius esse, si universam Theologiam ab eodem magistro discat: imò adhuc satiùs esset, si ab eodem universam Philosophiam , & Theologiam acciperet ; cùm hæc illius Principia supponat.

13. Non dissimulabo, in hac sacra disciplina aliquid esse, quod, si non emendationem, modicam tamen considerationem postulare videtur : quod tamen salvo aliorum judicio, dictum esse velim: nempe, & multæ tricæ Philosophicæ, quas nonnulli subtletates Metaphysicas vocant, turmatim, quasi agmine facto, in Theologiam involarunt, & multa Theologica, quasi primis sedibus non contenta, in Philosophiam descenderunt: hinc & inter Theologos de tricis Philosophicis , & inter Philosophos de rebus Theologicis disputatur: hinc multi Theologiam in Theologia querunt: hinc res Theologica in eas temporis angustias redigitur, quæ minimè sufficiunt, ut pro dignitate tractetur : hujus perturbationis causam omitto, si tamen perturbatio censenda est; tum quia Euphyandri non interest, tum quia quilibet eam per se, modò rem paulò diligentius discutiat, facile inveniet: unum est, quod doleo, eo ferè ventum esse, ut jam Theologi non ex certis, sed ex dubiis, & controversis, ut plurimum ratiocinentur, & sacram

sacram Doctrinam in litigiosam Metaphysicam convertant: hinc tam multa de quantitate, de infinito, de relationibus, de virtualitatibus, de unione, de tempore disputant, quæ ad Theologiam nulla ratione pertinent: uno verbo: in votis esset, Theologos operam dare, ut legitimas conclusiones Theologicas eruerent: hæc autem conclusio Theologica certa est: cùm propositioni erroneæ, ut vœcant, opponatur; cùm tamen ii toti ferè sint in probabilibus, & multa sanè adducant, quæ vix probabilia sunt; sed de his nimis fortè multa, quanquam de laude cuiuspiam detractum nihil esse volo, & totum hoc negotium sapientum judicio relinquo.

14. Euphyander autem in Scholasticis non sicut; sed principiis Theologiæ munitus, & sacræ hujus doctrinæ præsidii instructus ad sanctorum Patrum scripta legenda sese aceinget. Hæc porro lectio ad diversos fines à diversis refertur: quidam enim sunt, qui eam ad sacras conciones referunt; alii ad quæstiones Catholicos inter, & Hæreticos controversas; alii ad historiam Ecclesiasticam; alii ad traditiones Apostolicas; alii ad Sacræ scripturæ interpretationem; alii ad ritus; alii ad jurisdictionem Ecclesiasticam, & jus Pontificium; alii ad piarum meditationum materiam; alii ad dogmata fidei, & rem Theologicam, quam sancti Patres eleganter, & copiose tradiderunt. De verbo incarnato habes Cyriillum; de Trinitate Hilarium, & Athanasium; de divina gratia Augustinum; sed quid aliquos dunt taxat memoro, cum omnes innumera fere Theologica scripserint, ut Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, Hieronymus, Leo, Prosper, Beda, &c. consule Petavium, & multo labore parces: nempe apud illum habes Theologiam Patrum; opus sanè arduum, & quod pro maxima laude dictum sit, Petavio dignum: tanti viri lucem, vel potius Gigantis umbram pumiliones non ferunt; sed ne sus Minervam, vel aquila noctuam.

15. Ad Sacrae scripturæ literalem sensum se deinde convertat; multa sanè facilia occurrent, quæ vir doctus, sine interprete, vel Commentarii opera, statim intelliget: quia tamen multa sunt in sacris Bibliis difficilia, v. g. in Canticis, in Prophetis, in Psalmis, in Epistolis Pauli, in Apocalypsi, fidelem aliquem interpretē adhibebit; habet Glossas, seu postillas Irani, notas Emmanuelis Sa, Marianæ, Menochii; breve Commentarium Tirini: omitto alios ferè innumeros, præsertim Recentiores, qui præter literalem sensum, alios etiam explanarunt, non sine multa, & selecta eruditione, quam divini verbi Præcōnes in rem suam facile traducunt. Porro inter sanctos Patres multos habes, qui in sacros textus Commentaria scripserunt; præ cæteris autem, Hieronymus, & Chrysostomus mirificè placent, iisque palmam in intelligendis atque enucleandis Scripturis sanctis, sine ulla dubitatione, tribuere soleo. Cæterū priusquam pedem hinc efferam, Euphyandro sum auctor, ut librum Melch. Cani de locis Theologicis diligenter evolvat: ibi enim multa inveniet, quæ non parum ad rem Theologicam faciunt: caveat tamen à quorumdam Recentiorum errore, vel, ut mitius loquar, agendi modo, qui Theologiam cum Platonicis ideis confundunt, ita, ut mystica potius, quam scholastica Theologia esse videatur; res aliter, quam par sit, definiunt; verbis abutuntur, sub quorum scilicet involucro, aut nihil penitus, aut meras fabulas, vel quod verius est, meram ignorantiam te- gunt; sed de his satis.

C A P U T XII.

De Prudentia utriusque Juris.

I. **E**T si aliquando nonnulli summo ingenio, & exquisitâ doctrinâ viri huic legum scientiæ, ac disciplinæ totos se dedunt, quod & aliis, qui erga illam minùs propeficiunt, utilitati, & ipsimet facul-
tati

tati maximo incremento cedit; non tamen in votis esset, ut Euphyander mens eidem totum se tradiceret; nempe, ut liberè dicam, quod sentio, licet rei civili, & politiæ jurisprudentia necessaria sit; nisi enim legibus homines contineantur; publicæ societatis nulla penitus ratio habenda est. Ut autem singuli legibus pareant, & lites omnes legum oraculis definitantur, dubium certè non est, quia ea facultas desideretur, cuius potissima ratio in eo posita est, ut leges explicet, & definiat, arbitra jurisdictionis eruat, obscura explanet, dubia decidat, eos demum fontes aperiat, ex quibus recta judicia orientur. Itaque licet jurisprudentia necessaria sit, ea tamen non est, quæ cum gravioribus disciplinis conferri valeat; cum nihil ipsa demonstraret, sed leges primùm memoria complectatur, tum eas inter se, si qua repugnantia esse videatur, conciliat, tum in certa capita, majoris facilitatis gratiâ, distinguat, sed nulla uspiam demonstratio, nulla rerum amoenitas, nullæ illecebrenæ, cuncta ferè aspera, & parum grata; v. g. de stillicidiorum, & parietum jure, de stipulationum, & iudiciorum formulis, de appellationibus, praescriptiōnibus, &c. Hæc sanè, quod non diffiteor, necessaria sunt, ut lites identidem ortæ dirimantur; sed eodem jure fabrilis, lignaria, ferraria, ita necessaria sunt, ut vita hominum iis carere non possit; igitur, ut iis gratulor, qui in publicum commodum, huic disciplinæ diligenter incumbunt; ita ab Euphyandro meo, quem ad majora, aut saltem ad certiora, & amoeniora natum esse constat, id pensi exigendum esse non existimo.

2. Non tamen in hac arte eum novum prorsus, & omnino peregrinum, esse permitto; licet in eadem, versatissimum, esse non exigam; & quia juris duplex genus est, Civilis scilicet, & Canonici, cum divinum, ad Theologiam; & naturale, ad moralem Philosophiam pertineat; jurisprudentia etiam duplex est,

Civilis, & Canonica; sunt antea, qui alteram duntaxat, sunt qui utramque sibi comparant; aliqua saltem, utriusque tinctura Euphyander imbutus sit, & cursim legat corpus utriusque Juris; quod certe brevissimo tempore absolvere potest; Jus Cæsareum quatuor partibus constat, digesto scilicet, institutionibus, Codice, & Novellis; Digestum, totum jusantiquum, & Romanas leges, antiquorumque sapientum responsa complectitur; hinc vulgo pandectas vocant; in tres autem partes dividitur, scilicet in digestum vetus, quod 24. libris, infortiatum, quod 14. & digestum novum, quod 12. Constat; ac proinde totum opus in 50. Libros distribuitur; cum tamen prius antiqua illa jura supra duo librorum millia occuparent.

3. Institutiones imperiales, quatuor libris, juris elementa continent; hinc tyronibus, & jurisprudentiae candidatis prælegi solent; Codex vero duodecim libris, Imperatorum constitutiones comprehendit; duos autem codices, Justinianus edi curavit, priorem scilicet ex tribus aliis, utpote Hermogeniano, Gregoriano, & Theodosiano compositum, qui nunc desideratur, ex parte alterum vero suum, qui modò extat; novellæ denique, sive authenticæ, præfati Justiniani constitutiones novem collationibus distributas complectuntur; quidquid ferè pertinet ad antiqua jura, leges, plebiscita, Senatus Consulta, sapientum responsa, Imperatorum sanctiones, decreta, rescripta, & constitutiones, his libris comprehenduntur, in quos tamen præstantissimi Doctores, ut Bartolus, Baldus, Jason, aliquique Commentarios scripsierunt, de Jure Civili multi ex nostris Gallis scripsierunt, ut Cujacius, Tiraquellus, Faber, & alii quam plurimi; cæterum juris textum duntaxat Euphyandro propono; cum hic glossis omnibus, & commentariis præferendus sit; eritque quod in digestis purissimam Latinitatem, summam prudentiam, & æqui-

æquitatem; in institutionibus, totius juris compendium; in Codice, & Novellis, si nonnulla excipias, insignem integratatem, & iustitiam demiretur.

4. Jus Pontificium magni quoque faciendum est; illud autem continetur in inore lib. mole, quam civile; habes primò decretum Gratiani, qui sacrorum decretorum volumen, tum ex libris Conciliorum, tum ex historia Ecclesiastica, tum ex sanctorum Patrum scriptis collegit; in multis tamen hic auctor non est authenticus, ut candidè fatetur Bellarminus *in lib. descriptoribus Ecclesiasticis*; hoc autem volumen, in tres partes distinguitur, prima in distinctiones 101. quælibet distinctio in canones, vel capitula; secunda in causas 36. quælibet causa in suas quæstiones, & quæst. in suos can. tertia, quæ est de consecratione, in distinctiones 5. quælibet distinctio in can: Gregorius 9. curavit constitutiones summorum Pontificum prædecessorum suorum in 5. lib. decretalium congeri; & ad hunc finem operam B. Raymundi de Pena forti, capellani sui, & Pænitentiarii adhibuit; quilibet autem decretalium liber in suostitulos, scilicet in tit. 43. secundus, in tit. 30. tertius, in tit. 50, quartus, in 21. quintus, in 41. singuli vero tituli in sua capitula distincti sunt: Bonifacius octavus sextum decretalium componi jussit, & constitutionibus Pontificiis, adhibita scilicet Doctorum opera Guillelmi, Berengarii, Rieardi, Dini, &c. in quinque lib. similiter distributum; primus continet titulos 22 secundus 15. tertius 24. quartus 3. quintus 13 his adde 86 regulas juris. Clemens quintus multas constitutiones edit, tum in Concil. Viennenfi, tum ante, & post prædictum Concil. quas tamen post ejus mortem, in unum collectas volumen, & sub propriis titulis collocatas. Joannes 22. sub clementinarum nomine publicavit; volumen in 5. lib. distinguitur, primus habet tit. 11. secundus 12. tertius 17. quartus 1. quintus

quintus 17. his accedunt tum 20 extravagantes ejusdem Joannis 22. tum aliæ , quas communes vocant à diversis Pontificibus editæ , & 5. lib. is comprehensæ.

5. Multi autem in textum decretalium scripserunt , ut Baldus , Felinus , Hostiensis , Panormitanus , Guido Papa , Petrus de Anchiarano , Joannes Andreas , Zenzelinus , Imola , Barbosa , alisque quam plurimi , quos omnes ut legat , Euphyandro auctor esse non possum ; cùm enim vir ingeniosus sit , textum ipsuī , sine interprete facile intelliget , præsertim si nonnullas formulas , quæ utrique juri communes sunt , intelligat ; illas autem habet apud Brissonum , & in lexico juris , quod saltem cursum evolvet : & verò in volvendis canonitis , sic enim hos vocant , qui in textum decretalium scripserunt , nonnulli totum virtutæ tempus collocant ; quo eventu , viderint ii , quorum interest ; ego sanè Euphyandro meo hanc provinciam minimè impono , nec impositam velim ; utpote qui non sine maxima temporis jaætura , totum se præfatæ lectioni dare queat : Cæterum apud Canonistas nonnulla interdum reperiet , quæ , cum Theologorum placitis adversentur , eastatim ipse Theologiæ præsidiis instructissimus observabit ; inveniet etiam quandoque nonnulla levia , etiam apud eos , qui inter primos illius ordinis censemuntur : hoc tamen non facit , quin multæ gemmæ , ut de scriptis IEnnii fertur ; ex eorum libris erui possint.

6. Itaque modò textum utriusque juris Euphyander legat , nihil amplius habeo , quod illi super hac re , à me præscribi possit ; nisi fortè illud virtutæ institutum amplecteretur , in quo jurisprudentia illi exercenda , vel administranda esset ; nempe in hoc casu , singularem spartam haberet , quam tamen Euphyandro necessariam esse non existimo ; nec enim Euphyandri ratio talis est , ut nisi caudicis , & juris

jurisperitus sit, Ephyander esse non possit: ut artem illam, & institutum summopere laudo, ita necessarium esse non judico, ut Ephyander illud amplectatur; si genius eò fortè vocat; genio, & ingenio libere indulgeat; per me licet, vix enim genio, ac indoli, modò ad res pravas non tendat, vim aliquam inferendam esse puto, quod certè libertati animi adversatur; musæ autem liberioris auræ amantes sunt; & ut liberius vivant, in sylvas, & montes se recipiunt, ne ullo mulorum Carcere continentur: si tamen nullus te genius in altum illud jurium pelagus vocat, tibi cerè auctor non sum, ut spontè, in illud te immergas.

7. At si fortè in Ecclesiasticorum ordine vitam agis, operæ pretium erit, præfatæ utriusque juris tinturæ, moralem, ut vocant, Theologiam adiungere, aliqui scientiam morum appellant, quod scilicet, Christianis moribus, & actionibus modum, & formam præscribat: porro hæc facile haberi potest, modò Philosophia, & Theologia eo modo, quō pars est, tradantur; aliquot tractatus sibi Theologia vendicat, quos suo jure Philosophia reposceret, sed perinde est: v. g. illa tractatio, quæ de actionibus humanis, earum malitia, restitudine, circumstantiis, de humanis cupiditaibus, de virtutibus, & vitiis, item de legibus, alissque hujusmodi, quæ in secunda parte tradi solent; mirum quantum, ad prædictum finem hæc conferant, habes autem inumeros autores, qui de re morali scriperunt tot summas, & summulas, tot consilia, tot volumina; hæc tibi satis, & plusquam satis erunt, Lessius de justitia, & jure, Salas de contractibus, Suarez de legibus, & censu: ejusdem compendium de religione, Praxis thesauri de poenis Ecclesiasticis; adde h̄i vis summam Toleti, Azor, Sanchez, Castro Palao ut, &c. uno verbo sit tibi moralis Philosophia familiaris, & universa Theologia; adsit præterea medio-

med'ocris juris utriusque tinctura , fac , ut appri-
mè teneas rationes , & discrimina pænarum Eccle-
siasticacum , diversorūque contractuum genera , his
enim præsidiis instructus , omnes ferè nodos quæ-
stionum moralium facile dissolves .

8. Unum est , quod omitti à me non debet , &
quod ad rem hanc pertinet : in hac scilicet facultate ,
quidquid difficile occurrit , ex juris positivi igno-
rantia procedere : nempe quod à Principiis Theolo-
gicis , vel Philosophicis deducitur , molestiam Eu-
phyandro non creat , utpote qui in Philosophia , &
Theologia versatissimus eit : ut autem huic difficul-
tati occurras , illud saltem enixè curare debes , ut
librorum usus industria calleas : hoc eit facilem me-
thodum , qua in libris statim invenias , quidquid
de re proposita jus positivum statuit : hinc brevem
Bullarum indicem tibi describes , & titulorum juris
breviarium : si utrumque sæpè , ac sæpùs legerisi
vix aliquid occurret per jura positiva , ut vocant ,
decidendum , quod temporis ferè momento ad ju-
ris fontes non reducas .

9. In his , auctoritas maximi momenti esse vi-
detur , vix enim canonistæ rationes , sed Doctorum
turbam ponderant : hinc tot citationum tractus : &
cùm in dies Doctorum numerus augeatur , totas pa-
ginas citationes occupabunt : hinc periculum est , ne
hujusmodi Doctorum libri in indices , & catalogos
degenerent : & verò mirum sæpè mihi accidit , au-
ctorum , non rationum pondere hic agi : si legi-
bus agitur , benè eit : nam ubi lex eit , ratio eit :
cùm lex sit rationis ordinatio : sed Doctores legum
locò esse videntur , quasi totidem legislatores , seu
potius Doctorum nomina ; docta quidem , fateor ,
sed Doctrinam , non Doctores volo : jura , non ju-
risperitos : canones . non canonistas , sed eit quod
majorem adhuc admirationem conciliat : nam sæpè
accidit , ut duo Doctores , dum pro partibus con-
trariis

tratiis scribunt, easdem leges, eadem jura pro sua quisque Causa afferant: cùm tamen fieri non possit, ut eadem jura pro partibus inter se oppositis faciant: hinc vides, quantam suspectæ illæ citationes fidem mereantur.

10. Aliud est, quod majoris momenti esse videtur, legum scilicet, & jurium multitudo: cùm enim aliqua jam antiquata sint, & per non usum, ut vocant, abrogata, immo cùm jus novum in multis de antiquo aliquid deroget: fieri reverà non potest, quin aliqua Doctrinæ perturbatio inde consequatur; unicum hoc, ni fallor, remedium esset: Decreti auctor peccat in multis, multa enim dubia congerit, multa ex synodis Provincialibus, multa ex sanctis Patribus, quæ reverà, licet suo pondere non careant, non tamen ea vi pollent, qua sunt conciliorum generalium Canones, & summorum Pontificum decreta; quare in votis esset, ut certi duntaxat, usitati & indubitate generalium conciliorum Canones, vel Provincialium, si tamen vel à Generali, vel à summo Pontifice approbati sunt, in brevem summam colligerentur, quasi prima, & inconcussa juris Canonici fundamenta. Quod verò pertinet ad decretales, & constitutiones summorum Pontificum, retentis iis, quæ ad dogma fidei attinent, aliisque ad usum præsentium temporum facientibus, si quæ forte amplius in usu non sunt, vel quarum præsens rerum status patiens non est, vel quas, saltem majori ex parte abrogatas esse constat, operæ pretium esset, illas, non suppressere quidem, nempe sanctorum rerum memoria non sine veneratione conservanda est, sed à corpore juris segregare, in quo scilicet certa duntaxat, & indubitate jura, non vero dubia, antiquata, abrogata contineri par esset.

11. Hinc tot glossis, apostillis, Commentariis non indigeremus; Breve volumen omnia sacra jura complecteretur, in suas classes distincta; hinc sacri Canones,

nones, qui ad dogmata fidei: inde alii, qui ad sacros ritus, inde alii, qui ad bonos mores, & rectam Ecclesiæ administrationem pertinent; idem ordo in constitutionibus Apostolicis servandus esset, quæ facilè ad certa Capita reduci possent: ad dogmata fidei, & librorum Censuram; ad regulares; ad conversionem infidelium, ad ritus Ecclesiasticos; reliquæ spectantes ad rectam ditionis Ecclesiasticæ administrationem à sacris Canonibus segregari possent, cùm res temporales, non spirituales, vel Ecclesiasticas complectantur: atque adeò in volumen sanctionum congeri, quas summi Pontifices, quatenus Principes temporales sunt, ferre, ac publicare confueverunt; uno verbo: si superflua, inutilia, repetita, antiquata, & abrogata rescinderentur, & reliqua, ut par est, componerentur, jus Pontificium non modicam inde dignitatem, & facilitatem acciperet; nihil in eo dubium restaret; nihil incertum; nihil ambiguum: ex certis principiis certæ conclusiones deducerentur; eandem Causam eadem semper decisio terminaret; nullæ amplius essent tricæ forenses; tot consiliis, responsis, & consultationibus opus non esset; adolescentes denique in discendo jure Canonico non adeò laborarent. Quisquis demum supra valens auctoritate id fieri curaverit, eam profectò laudem inde referet, qua Joannis 22. qui clementinas, & aliquot extravagantes; Bonifacii Octavi, qui constitutiones sexti: & Gregorii noni, qui decretales colligi jussérunt, gloriam superabit.

12. Quod verò pertinet ad Jus Civile, vel Cæsareum: implicatissima res est; tum quia in quibusdam Regnis ad dirimendas Causas non adhibetur: tum quia multa inter se pugnantia continet, aliisque ferè innumera, quæ amplius Christianorum usus, & mores non ferunt; adde, quòd Recentiores Principes edictorum numerum, prout res tulit, adeò multiplicarunt, & quotidiè multiplicant, ut jus quasi nouum

vum facere videantur; adde innumera Senatus Consulta, & Comitiorum decreta, quæ juris, & causarum volumina plurimū auxerunt. At cùm res in unius Principis potestate posita non sit, quilibet enim suos subditos ad libitum, non verò ad nutum alterius regit, universo huic incommodo vix occurri potest: facile tamen factu est, ut rex aliquis, in subditorum gratiam, rem hanc componat, & tantam legum, ac constitutionum Imperialium vim, cui nulla ferè memoria par est, resecet, reformat, contrahat, & certa jurisprudentiæ, ac indubitata principia statuat, eaque pauca, nec non in suas classes distincta; superflua rejiciat, manca suppleat, auferat ioutilia, omnia demum ità componat, ut & Causæ facile dimantur, & jus ab adolescentibus non difficile discatur, & tricæ forenses, quasi quædam populorum sanguisugæ abigantur. Hand dubiè, quisquis regia, vel Imperatoria auctoritate valens, accersitâ Doctorum, ac piorum hominum operâ prædictam reformati, ac restituendi juris provinciam susciperet, nec non ad ultimum finem perdueceret, ille mihi Justiniano major esse videretur, noménque suum immortali gloria coronatum posteritati relinqueret.

13. Illa methodus tradendæ juris prudentiæ, omittenda non est, quam nonnulli, magnâ prudentiâ viri, & quos singulari cultu, ac veneratioe prosequor, adhibere solent. Ità autem jus Canonum v. g. tradunt, ut quatuor canonum causas explanent, efficientem scilicet, finalem, materialem, & formalem: efficiens Canonis causa est summus Pontifex, vel Concilium generale approbatum; idem dico de Provinciali, modò Romani Pontificis auctoritas accedit; idem dico de constitutionibus Apostolicis, quanquam ad rem discutiendam summus Pontifex quosdam homines delegare potest, qui deinde ad sanctissimum referant: Causa finalis est bonum Commune fidelium, ac totius Ecclesiæ, quod

tamen alia singularia complectitur; materialis est res quæpiam, quatenus ad Ecclesiam pertinet, & hæc est amplissima, & valde implicata, nisi in generalia quædam capita distinguatur: formalis est tum ipsa ratio, quæ forma, & anima legis vulgo appellatur, tum solemnis formula, quæ in editione, publicatione, & usu legis adhibenda est, sive proprio motu fiat, sive de aliorum consilio: nam perinde est, quidquid nonnulli secus sentiant.

C A P U T XIII.

De Politica.

1. **P**olitica inter morales disciplinas principem locum tenet, imò quod in rebus humanis maximum est, ars illa regendi homines divina propemodū esse videtur; nihil enim aliud est Politica, nisi ars rectè administrandi Rempublicam; ut autem Monastica propriæ vitæ rationem dirigit, & œconomica familiarem, & domesticam rectè disponit, ita Politica circa publicam versatur, ejusque rectè administrandæ certas, & rectas regulas tradit; certas, inquam, moraliter, & per se, ut vocant, nam per accidens, & casu aliquo, cui humana providentia occurrere non potest, secus aliquando accidit, quām egregius etiam politicus expectarit; hinc contra meros, & fortuitos eventus, prudentia non est; dixi meros, multa enim sunt, quæ licet fortuitò accidunt, iis tamen sagax, & solers prudentia occurrere potuit: hac autem arte Euphyander carere non debet, cùm illa excellens ingenium postulare videatur. Ridere soleo illos homines, qui prudentiam quidem, & judicium, non tamen ingenium in politico desiderant; errant toto Cælo, errant; equidem ad monasticam, & œconomicam, judicium, & monastica prudentia sufficere videntur: ac Politica superioris cujusdam ordinis est, quæ reverè matrum judicium, exquisitam prudentiam, & multiplicem

plicem rerum experientiam desiderat; sed his non contenta, excellens insuper ingenium, omnigenam Doctrinam, felicem memoriam, uno verbo: totum Euphyandrum postulat, ut ex iis, quæ paulò pōst dicam, manifestum fiet.

3. Inter eos, qui de Politica scripserunt, nemo est meo judicio, cui Aristoteles anteponendus non sit, qui oculo Politicorum libros scripsit, in quibus primo loco fundamenta hujus artis, & Principia iacit, agitque de partibus Civitatis, Domino, ser-vo, uxore, filiis, domo; tum sententias Socratis, Phaleæ, Hipodami, & Publica Lacedemoniorum, Cretensium, Carthaginensium instituta refellit; de- inde affert diversas Politiæ rationes, & optimam in- vestigat; præterea de aliis, quæ infra optimam sunt, agit, & de Partibus Reipublicæ; deinde de iis, quæ vel conservant, vel destruunt Rempublicam; tum de modo instituendæ Reip. à Monarchia distinctæ; in septimo libro de optima Republica sermonem facit; denique de disciplina puerorum. In his mul- ta, quæ laudes, aliqua tamen, quæ reprehendas, occurrent; imò ausim dicere, pauca ex illis, ad præsentium temporum statum pertinere. Pari modo apud Platonem multa invenies, quæ ad rem Politicam faciunt, sed pauca probabis, & multa jure cum Aristotele reprobabis, frustra licet non netime re- clamante, qui dum somnia Aristoteli affingit, som- niasse ipse visus est; quamquam Aristotelis somnia nonnullorum lucubrationibus præferenda esse viden- tur: habes præterea D. Thomæ commentarios in polit. Arist. & 7. libros ejusdem de eruditione Prin- cipum. Javellus methodicè in sua Christiana Politi- ca rem hanc tractavit; nonnulla tamen aut anti- quum viri candorem, aut aliquam simplicitatem præ se ferunt: apud Bellarminum multa invenies non modò summæ prudentiæ, verùm etiam eximiæ pietatis: multa quoque non leviter considerata

apud Perronium, & Dossatum: in Lipsio non modicam eruditionem; in Seneca plurima graviter, & acutè dicta; elementa Politica Baconii Angli non mediocriter placent: Adamus Contzen innumera propemodum concessit: habes præterea Antonium Perez, Charon, Montaigne, Balzacum, Hobs, Sillonum; sed caute, nec sine superiorum licentia legendos; apud Tacitum plurima invenies; adde Utopiam Thomæ Mori, opera Caussini, Petrarchæ lib. de Rep. optimè administranda; item lib. de Officio, & virtutibus Imperatoris: Ægydium Romanum de regimine Principum; Sarisberiensem, Hincmari Epistolam de bono regimine; non omittes etiam lib. sancti Bernardi de Consideratione ad Eugenium: plerisque omitto, quia prohibitos.

3. Nec est, quod aliquis ægrè ferat, Euphyandrum disciplina Politica egregiè instructum, & institutum esse; nempè, ut jam suprà indicavi, summum Politicum Euphyandrum esse necesse est; & præstantissimæ illæ virtutes, quas Politicas vocare solemus, excellens ingenium postulant: ardua res est liberale hominum Imperium, & quisquis homines, etiam volentes, & jugi amantes regit, is profectò esse debet, qui & summa prudentia sit, ut de innumeris ferè causis, quæ singulis ferè diebus occurruunt, rectè judicet, & divino propemodum ingenio, cuius vi, occulta exploret, præsentia discernat, futura conjiciat, præterita teneat, varias hominum indoles cognoscat, vera à falsis, adulaciones à veris laudibus, mercenarios ab amicis, rerum larvam à nativo earundem vultu distinguat: præterea mille vias, & mille modos excogitare debet, quibus res susceptas ad exitum feliciter perducat; mille nodos solvere, paratas infidias vitare, hostibus novas, & inopinatas struere, illorum arcana prodere, aptissimorum, & maximè idoneorum ministrorum operâ uti, pro sua quemque àudole regere, nec enim omnes uno modo regeandi sunt;

sunt; à subditis quidquid rerum status postulat, obtinere, non per vim quidem, aut per fas, & nefas, quod Principem non decet, nisi justa illi detrectent Imperia, sed iis rationum momentis, quibus populi ultrò assentiri, & cedere cogantur; cuncta hæc haud dubiè ab excellentis duntaxat ingenii fonte procedunt.

4. Adde innumeræ ferè machinationes, & militiones, rerūmque Civilium, & Publicarum immensam propemodum sylvam, quam Politicus animo, & ingenio complecti debet v. g. rem bellicam, nauticam, judicialem, literariam, pœnalem: bellica quantum amabo apparatus habet; armorum, tormentorum, equorum, machinarum, annonæ, hominum, curruum; adde delectum militum, ducum, Praefectorum; sunt enim variæ diversorum partes; non nulli equitatu, alii peditatu, illi pugnando, isti aciem rectè ordinando, dolo alii, alii aperta vi, alii demum arcibus expugnandis rem benè agunt. Adde militiæ leges, quæ nisi diligenter serventur non militia, sed merum latrocinium est; de occultis, & fidelibus exploratoribus, nihil est, quod dicam, quorum opera Politico maximè necessaria est, qui, quò magis perspectas res hostium habebit, eò melius suas gesturus est; alioquin ex rerum illarum, & consiliorum ignorantie, multa in incertum ferri necesse est.

5. Res nautica incredibilem ferè apparatus, & supellecstilem desiderat; velorum; armorum, funium, tormentorum, annonæ, medicamentorum: in nauta peritiam; in milite, fortitudinem; in Duce, artem, & longam experientiam: in Judiciali multa sunt consideranda, Judicum multitudo, integritas, diligentia; judiciorum modus, & forma, causarum ratio: in mercatura, subditorum commoda, indemnitas, securitas, quies, vestiaræ facilitas: Pœnarum ratio habenda est, ne pœna sit, vel attocior, quam par sit, vel mollior, vel diuturnior, vel minus usitata;

ut enim severior Jūdex esse non debet, itā nec indulgentior: ad clementiam tamen propensior sit: in re literaria, & gymnaſtica, multa Politicus habet, quæ consideret; v. g. magistrorum peritiam, Scholasticorum frequentiam, progressum, habilitatem, collegiorum numerum, aliisque hujusmodi, quæ in Republica majoris fortè momenti sunt, quām quispiam existimaret.

6. Res Ἀραιi non modicum Politico facessit negotium; in exigendis vestigalibus, in minuendis, si res itā ferant; in augendis, si Rusp[ublica] itā postulat; in sumptibus publicis, in ædificiis, in fodiinis, in Republica locupletanda, amplianda, servanda; in viis publicis, fluminibus, pontibus; in moribus, & vitiis extraneorum arcendis, in latronibus, & graſſatoribus exterminandis; in viris fortibus, prudenteribus, doctioribus, accersendis, retinendis, ſovendis, &c. in artibus promovendis, ut Mathematicis, p[ictura], Sculptura, Fabrili, Linifica, Serica, Textoria: his enim artibus inexhaustæ quædam fodiinæ continentur; præsertim, si vectura, & facilis exportandarum Mercium modus accedat: & verò cum pecunia non modò belli; sed totius Reipublicæ nervus, & robur sit, nihil non agere, agitare, & excogitare Politicus debet, ut multam vim auri, atque argenti intra suos fines adducat, iis duntaxat viis, quæ fint legitimæ; nec minor cura principi adhibenda est, ut subditi fint opulentii, quām ut ipse ditescat; ubi enim Cives divites sunt, Rusp[ublica] dives censenda est, & Rex pauper, pauperis Regni, cùm Regnum ipsum sit Regis; si reliqua corporis membra benè valent, vix caput male se habet.

7. Duo sunt, quæ Politico præsertim curanda esse videntur, amari scilicet à subditis, & timeri; addo tertium, quod est, in pretio haberri, & magnifici; nempe velle duntaxat timeri, Neronianum putas; h[oc] autem præstare, excelleatis ingenii Laus est;

ut

ut ametur à subditis, illos amet, & beneficiis teste-
tur amorem, Beneficium, etiam brutarum animan-
tium amorem benefactori conciliat; imperium ani-
morum humanum est; serinum verò, corporum;
Deus ipse subditos liberos esse vult; & prima lex
Divini cultūs, amoris est; corpus Politicum capite,
& membris constat; omnium partium consensio
optimam totius corporis habitudinem facit; nisi
membra capiti sponte serviant, nisi caput membra
benigno influxu recreet, corpus illud morbo laborat;
Princeps, capitis munere defungitur; subditi, mem-
brorum partes agunt; inter hæc, mutui amoris ne-
xus adeò necessarius est, ut sine illo, non modicæ
ruinæ periculum imminere videatur; ut odia Pu-
blica tandem erumpunt in maximam Regnorum
perniciem: ità populorum amor maximum sanè ve-
ctigal est: & longè satius est, ut Principes subdito-
rum deliciae, & amores, quām terrores sint; hæc
paulò liberius inculco, utpote qui certus sum, rem
hanc maximi momenti esse, & ut sic loquar, sanio-
ris Politicæ clavem, qua scilicet animorum ostia, &
aditus, ille qui præest, sibi aperit, & in eos sese in-
sinuat ad firmandam animorum tyrannidem, quæ
liberioribus etiam populis gratissima est.

8. Hæc modò ii, qui aliis præsunt, amari à sub-
ditis, verùm etiam timeri debent; nisi enim pœna-
rum metu, homines contineantur, vix fieri potest,
quin sæpè illi delinquant, & delictorum frequentia
in usum transeat; at delicti usus, legum abusus est;
legum verò observatio Principi curæ est, cùm ejus
potissimum muneris sit; leges enim singulos in offi-
cio continent; nisi autem singuli suo munere, ac
officio defungantur, nulla est societas Publica, nulla
Reipublicæ forma; ille porro subditorum timor non
à Principis severitate, sed ejusdem integritate, & vi-
tae innocentia procedit; displicere verentur subditi
optimo Principi, non tam pœnarum metu, quām

personæ reverentia ; iratum habere nolunt , quem semper amantem , & amicum habuerunt : ne dissimiles sint , probi sunt , & in officio manent : timor est sed cum amore conjunctus ; illud autem præser-tim timent , ne quid faciant , quod illi parum gratum sit , quem summo amore prosequuntur , & à quo amari desiderant .

9. Princeps demum à subditis magnificeri debet ; ut autem magnificat , iis partibus sit , quæ jure ab hominibus in pretio haberí solent : ingenio polleat , judicio , prudentia , iisque præsertim virtutibus , quas Politicas appellamus ; sit dignus Imperio , non modò natalium , sed etiam virtutum , & meritorum prærogativa : ingenii , doctrinæ , prudentiæ specimina idem edere poterit ; unum Salomonis judicium omnibus subditis admirationem attulit ; illa omnia in se castiget , quæ aliquem contemptum ingenerant : hinc nec sese immitem , nec molliorem exhibeat ; nec iis cupiditatibus serviat , quibus imperare , viri fortis est : vile est humanis cedere passionibus , ut vocant , eumque propriis affectibus domi servire , qui foris tot gentibus & nationibus imperat : Principem à subditis vinci , turpe est : subditi Principem suspiciant , non despiciant : despicient autem si eum sibi inferiorem habeant : quia verò nemo est , qui aliquo defectu non laboret , judicii , & prudentiæ Principis erit suos defectus ita celare , ut in subditorum cognitionem venire non possint : vel ita castigare , & temperare , ut quasi in virtutem transiisse videantur .

10. Itaque , ut hæc tria Politicus obtineat , ut scilicet à subditis ametur , timeatur , & magnificat , mira profectò ingenii dexteritate opus est : & cùm omnes uno , eodemque modò tractandi non sint , mille modos , vel jam scire , vel excogitare debet , quibus omnium subditorum animos sibi conciliet , ac devin- ciat ; hunc honoribus , illum præmiis , & pecunia , alium bonis verbis , nonnullos graviore imperio , ali- ques

quos consiliorum communione : omnium indeoles nosse debet, vires, opes, necessitudines, sacerda, nexus, mores, affinitates, præsertim nobilium ; quid quisque speret, vel timeat, quid rectius agere valeat, quæ magis congrua singulis Provincia committi possit : hæc, ut vides, excellentis ingenii vim desiderant, cum acerrimo judicio, & mira quadam dexteritate conjunctam : hinc sanè rarissima est ars illa rectè regendi homines, non dico astutiam, & versutiam, quæ simplicioribus quidem facile imponit, at prudentes fallere non potest ; nec enim vulpino, sed humano more homines reguntur : sed Politicam illam artem, tot ingenii, judicii, doctrina, & omnium ferè virtutum præsidiis instructam, qua Princeps subditos quocumque vult inclinat, & minimè invitatos ducit, ab iisque obtinet, quæcumque jubet : est modus in rebus, quem quisquis probè calluerit, magni Politici nomen sibi jure vendicat : hinc vides, quantum à veritate deflexerit, famosus ille Machiavellus, qui dum suum Politicum descripsit, impium nobis hominem, vafrum, trucem, hypocritam, infidelem exposuit.

II. Sed inquires, vix fieri potest, ut Princeps, qui alteri, hæreditario jure succedit, omnibus hisce dotibus polleat : esto, ille tamen facile huic occurret incommodo, si eorum operam adhibeat, qui desecatum illum supplere possint : non valet ingenio princeps, neque doctrina satis excultus est : ejus opera utatur : qui & ingenio valeat, & omni disciplinarum genere instructus sit : si regendi modum nescit, eum ministrum adhibeat, qui optimam regendi artem probè calleat : nempe inde fiet, ut Respublica optimè administretur, & quod princeps per ministrum agit, per se ipsum agere censeatur : & ne recens hujus rei exemplum præteream, ut ab iis qui etiamnum vivunt, abstineam ; Illud in primis Ludovico decimo tertio Francorum Regi laudi, & glo-

xiæ versum est, quod cùm peritissimum hujus artis ministrum nactus esset, nunquam adduci potuerit, ut eum ab administranda Republica amoveret, sed illius opera semper usus sit; quo eventu, viderint & qui rerum nostrarum estimatores: igitur summæ prudentiæ est, in eo Principe, cujus administrandæ Reipublicæ vires sunt impares, illos homines accersere, eorumque operam adhibere, qui huic muneri omnium aptissimi, & maximè idonei censentur.

12. Carterum licet optimum illum Politicum, Euphyandrum esse necesse sit, & omnes Euphyandri, hujus artis periti esse debeant; non tamen necessarium est, ut illam omnes ad praxim reducant, imò nec illis gratulandum esse puto, qui ab otio, & musis abstracti, in vastum illud rei Politicæ oceanum immerguntur; quamvis enim non sine maximo voluptatis sensu optimum illum administrandas Reipublicæ modum Euphyander sciat, vix tamen sine multa molestia, & invidia ad praxim venire potest; igitur modò primum illud teneat, de altero parum sollicitus erit: illud enim multam suavitatem, & delectationem praeseruit, hoc vero periculi, & aleæ plenum est; illud in otio tractatur, hoc in tumultu, & negotiorum æstu; illud animum recreat, hoc totum hominem fatigat.

C A P U T XIV.

De Scriptione.

1. **E**uphyandro scribendi munus, & provinciam non impono; quamvis optandum esset, ut ii, qui scribunt, & suas lucubrationes in lucem edunt, Euphyandri essent; sed scribimus indocti, doctique Poëmata paucim, & multos ea scribendi libido, seu prurigo tenet, quos æterno silentio damnatos esse, è re profectò literaria esset; sed, quod, mirere magis, libri, quos vulgus probat, & in Cœlum extollit, perpetuis tenebris digni esse videntur: quanquam ne
cui-

cuiquam auctoribus esse videar cum vulgus ardua non capiat, haec humilia facile illi condonarem; nihil autem de iis libris dico, quorum maxima vis, cum in Scholastico puluere teratur, in certe Bibliopolis maximo sunt lucro; nihil de aliis, qui Divini verbi praæconibus uberem, & selectam rerum, & conceptum, ut vocant, sylvam exponunt; nihil de iis, qui res morales continent; nihil de aliis ejusdem generis, qui cum ad vulgi & rudiorum captum accommodati sint, frequentes reveraemptores nanciscuntur, & celebre nomen, auctoribus suis, apud indoctum vulgus conciliant.

2. Euphyander his duntaxat legibus commutationes suas in lucem edet, ut publica luce dignae sint, ut suas non alterius; ut aliquam rei literariae accessionem faciant; ut illæ à viris doctis probentur; ut eo styli genere sint, quem materiae ratio postulat; ut ordinatæ, & bene dispositæ non tumultuaria congestione incompositæ; haec sunt leges, quas ab Euphyandro servari velim; si tamen ille ad scribendum sese accingat: quod ad primam spectat; nihil in lucem edet, nisi quod publica luce dignum sit, vel potius, quod Euphyandro non indignum esse videatur; libri enim auctores suos censere dicuntur, iisque vel boni nominis famam conciliare, vel ignorantia, aut imprudentia notam inurere; judicium tamen, censuramque librorum suorum ab ignara plebecula non expectet, sed ab iis, qui cum doctrina, & ingenio valeant, de iis optimè judicant, quæ non modò intelligunt, verum etiam non sine aliqua voluptate legunt: quid autem publica luce dignum sit, vix, ex certa regula definiri potest; nisi forte illud esse dicatur, quod viris ingenio, & judicio præditis arridet, atque ita illis probatur, ut in lucem edi postulent; aut si forte jam editum sit, non parum inde gaudeant.

3. Sua porro non aliena Euphyandrum, in publicam

blicam lucem dare oportet ; quid enim juvat , jam edita iterum edere , aliorum scripta compilare , jam actum agere , & quod pejus esset , tacito auctoris nomine aliena pro suis jactare : hoc plagii crimen frequentissimum est ; & verò ingenuum , & ingeniosum hominem puderet , alienis ovis incubare , non nisi rapto vivere , ascitis pennis sese ornare , in solo non suo fabricare , & alterius operi nomen suum inscribere : quid juvat etiam auctorum centone consuere , & indigestam locorum communium farraginem congerere : non deerunt fortè , quibus ista non displiceant ; mihi certè nunquam hactenus placuerunt : sed inquies , nihil ferè novi ex cogitari potest ; falleris , mi homo , falleris ; non modo in Geometria , quod nemo negat , verùm etiam in omni disciplinarum genere , & verò modò inventa ab aliis , & demonstrata , nova demonstrationis methodo illustres , novæ profectò editionis sufficiens , & legitima ratio est , v. g. quisquis totam Geometriam nova , & facili methodo explicaret , illam in lucem edi operaè pretium esset , licet jam multi de Geometria scripserint : idem de Philosophia , idem de aliis disciplinis dictum sit .

4. Illa autem , quæ scribit Euphyander , nisi aliqua accessione rem literariam promoveant , frustra esse videntur ; ut quid enim prælum occupant , si res literaria , cui prælum servit , inde auctior minimè fiat : de illa tamen accessione , viri docti non ita temerè judicent , ut ille , qui optimo Mersennu persuaserat , nullam doctrinæ motuum accessionem factam esse , & nihil de motu locali demonstratum esse à Galileo , scilicet , Torricello , &c. ille profectò bonum senem fecellit ; quisquis enim hoc negat , doctrinam motuum non capit ; an fortè negavit Mersennus centrum percussionis variorum cadentium à nobis demonstratum fuisse , saltem usque ad theor. 17. quis autem ante nos illa demonstrat , prorsus igno-

ignoro; expectabam; ut cum testem Mersennus appellaret, qui solus, inquit, ratione, vibrationes istas definivit; sed facile est, dare verba seni, optimo præsertim, ac candidissimo, cui pro candore suo sapienter accidit, eadem, quæ prius approbaverat, deinde damnasse; igitur, nisi rem literariam inde promotam iri Euphyander prudenter existimet, satius erit, lucubrationes suas suppressimere, quam publicare.

5. Priusquam illæ prodeant, viris doctis minimè præoccupatis eas recognoscendas exhibeat; plus enim vident oculi, quam oculus; minimè præoccupatos volo, alioquin sinistrum, & iniquum judicium ex illa præoccupatione sequeretur; mirum est, esse aliquos, viros alioquin doctos, quibus ea duntaxat placent, quæ vel ipsi excogitarunt, vel didicerunt; si quid forte aliud accedat pro falso illud, aut saltem pro suspecto habent; quod corrè injustum est; nam aliorum scripta, & commenta iis recognoscenda traduntur, ut constet, utrum cum recta ratione, non vero cum recognoscentium sensu consentiant; itaque censorum delectum Euphyander habeat, si tamen in ejus potestate possum sit, nec eos accipiat, qui vel invidiæ, vel præoccupationis vitio laborant, vel minus propensi sunt erga res illas, vel eas minus, quam par sit intelligunt; sed eos assumat, qui rerum illarum peritissimi, & veritatis potius, quam auctoris amantes sunt: uno verbo in docto, & fidi censure, singulare præsidium Euphyander habiturus est.

6. Quod vero pertinet ad stylum, & dicendi modum, quem in scribendo Euphyander adhibere debet, dubium non est, quin is adhibendus sit, ac reliquis omnibus anteponendus, qui rebus ipsis, quæ scribuntur, accommodator est: in scholasticis politior, & nimis tersus non modicam obscuritatem conciliaret; suis Formulis, & conceptis verbis scholasticis

stici gaudent; à quibus si discesseris, vix obtinebis, ut ea, quæ ipse scribis, intelligent, equidem non nulli divinas illas disciplinas nimia barbarie fœdârunt, & in hoc reverà non laudo; vide, quæ supra diximus de styo, ne hic repetere cogar: in Mathematicis, eadem stysi ratio tenenda est, nempe harum disciplinarum periti artis suæ terminis utuntur, quod certè laudi potius, quam vitio illis veri debet; sed videant, ne dum Latinæ voces propriæ suppetunt, Barbaras illi, per negligentiam, aut Latinitatis ignorantiam substituant: in aliis denique, versus erit stys, nitidus tamen & perspicuus, non verò obscurus, quod tamen nonnulli, quasi quodam exquisitæ, ac selectæ Latinitatis obtentu faciunt, in quo valde hallucinantur; quo enim animo, & fine loqueris, aut scribis, nisi ut alii à te dicta, vel scripta intelligent; igitur clarus, & nitidus stys, meò saltē judicior, reliquis omnibus præferendus est, & ille præsertim dicendi modus, quem res ipsæ postulare videntur.

7. Nec satis est, ut ea scribas, quæ ad rem literariam non parum conferant, eoque dicendi genere, quod aptissimum sit, nisi ea, quæ scribis recte disponas, & singula in suis locis colloces: est enim symmetria, quædam librorum, ut corporum, quæ scilicet, omnes partes ita copulantur, & tam aptè inter se conveniunt, ut nec oculus, nec animus quidquam in ordine, in serie, in dispositione desideret: contra verò ubi rerum ordo perturbatus est, nec prima cum mediis, aut hæc cum postremis consentiunt; mirum quanta inde confusio nascatur, quæ non mediocrem legentium animis molestiam conciliat: itaque antequam ad scribendum te accingas, de scriptionis ordine seriò cogitabis, & breviarium quoddam, vel Ichnographiam, vel rudem, ac informem totius operis designationem tibi describes, quam deinde in ipsa libri compositione, imitari possis;

sis; illa enim quasi animum diriget, & ad optatum finem, per designatos prius tramites, totum opus perducet.

8. Quid porro scribere debeat Euphyander, vix defraude valeo; nam pro suo quisque genio agit; suaderem historica, cui forte Geometrica magis aridunt; aut Philosophica, cum tamen Poeticis mirificè delectetur; igitur scriptioni materiam non praescribo, ut ipse liberiori genio indulgeat; sui juris cum sit, cogendus non est; amplissima, & vastissima materia, eaque varia suppetit; pro vario genio, hanc, vel illam assumet, ut in ea sece exerceat; ea tamen sit, quæ sine pudore in lucem prodeat; sunt enim aliqua, indigna prossus, quæ lucem aspiciant: hinc illum auctorem non laudo, qui pediculum Panegyrica oratione ornavit; nec illum, qui omnes musarum lepores, & delicias accersivit, ut luem venereum elegantius describeret; haec sanè viliora sunt ingenuæ scriptionis argumenta; & licet nonnunquam aliquod ingenii lumen præferant, aliquid tamen judicii, & prudentiæ in iis desideratur; ludere licet aliquando scribendo; at scribere, ut semper ludas, histrionis potius, quam Euphyandri esse videtur: igitur si aliquid scribit, illud Euphyandro, & rei literariæ gravitate dignum sit.

9. Multa autem sunt, eaque diversi generis, in quibus Euphyander stylum, & ingenium exerceat: ingenium dixi, nisi enim ea, quæ scribit, ingeniosa sint, illa ego nulla ratione probo; quid enim ab Euphyandro, seu viro ingenioso, nisi ingeniosum, & ingeniosè scriptum expectari potest? versus scribere, nihil vetat, modò elegantes sint, & pauci: cum multitudo pretium elevet, nitidi etiam, acuti, sententiosi, fluidi, limati; historiam scribere poterit; itylo proprio, & accommodato, presso scilicet, Latino, dilucido, ac perspicuo, habet autem quos imitetur, Salustium, Tacitum, Florum, Polybium: multa sunt, quæ

quæ soluta oratione scribat v. g. orationes, quamquam rerum præsentium statūs, vel usus, hoc dicendi genus vix admittit: sunt autem alia, quām plurima, quæ terso, ac leni stylo exponat, habētque, quos imitetur, Tullium præsertim in Philosophicis: deinde alia, quæ cum gravioribus disciplinis tractari solent in lucem edere poterit: ut Philosophica, Theologica, Mathematica, moralia, modò crambe recocta non sit; nonnihil ex Sacris Bibliis exponendum suscipiet, in quo Sadoleti vitorem, & Sanctii elegantiā illi commendo: forte aliquid eruditionis profanæ, vel sacræ cogitabit: sed quæso caveat à farragine: Lipsium præ oculis habeat: si quid de Politica elucubrabitur, recti tantum ratione ducatur, & firmo ratiocinio, potius quām eruditione, rem propositam evincat, & demonstret: etiam aliquid pium edere, non abs re foret, modò tamen aridum, & exuccum non sit: non deerit forte, qui ia scribendis heroicis fabulis, quas vulgus *Romans* appellat tempus, & ingenium collocet: uno verbo, ut cacoëthes illud, prurientis scilicet animi vitium, non probo, ita facile permitto, ut aliquid Euphyander scribat, ea tamen lege, ut nihil scribat, quod tanto nomine indignum sit.

10. Aliud est, quod ad scriptionem pertinere videtur: cùm enim Euphyander multa legat; erit forte, quod aliquid excerptat, & adnotet, in adversariis, vel notis: in hoc, diversus est diversorum gustus, & sensus: sunt qui vastos codices suis notis, & excerptis implent, quos deinde, ut inanem farraginem, & inutile pondus piacularibus flammis devovent; alii contra nihil penitus excerptunt ex iis libris, quos ipsi evolvunt: hinc si non cuncta, multa saltem memoria excidunt; ac proinde tempus illud lectioni diu impensum, tritum, & perditum esse videtur, nisi forte aliquo se excipias, qui cum fælicissima valeant memoria, alteri custodi, à se lecta frustra commendarent:

rent: unus præ cæteris occurrit P. Joannes Rhò no-
ster, vir sanè omnigena eruditione sacra, & profana
instructissimus, licet eorum, quæ legit, in adversariis
nihil annotarit: media quædam via est, quam Eu-
phyander inire poterit: nonnulla feligat ex iis au-
ctoribus, quos legit, non quæ fortè majoris momenti
esse videntur, sed ea, quæ deinde alia in memoriam
revocent: nec enim selecta illa meo judicio ad in-
stitutionem, & doctrinam, sed ad memoriam perti-
nent: novi tamen aliquos, quorum certè oblitina-
tum studium summoperè laudo, qui cùm insignes,
& egregii essent divini verbi præcones, tantam re-
rum sylvam, & copiam, ex sacris, & profanis aucto-
ribus excerpserunt, & in inultos codices retulerunt,
cum distinctis indicibus, & adscriptis margini notis,
ut inde variam, doctam, & copiosam suis concioni-
bus materiam facile accerferent. Facere non possum,
quin pro mea, erga Reverendissimum, & suavissimum
P. N. observantia, Joanneum Paulum Olivam, Ponti-
ficium Ecclesiastem hoc loco appellem, qui cùm in
centum, & quadraginta circiter justa volumina, mi-
ra certè arte, & indefesso labore ea congefferit, quæ
ex libris à se lectis excerpit, propriam, & domesti-
cam Bibliothecam construxisse visus est, in qua se
ipsum duntaxat legeret, & à se ipso, quidquid aliis
auctoribus boni succi inest, feliciter exprimeret; gra-
tum sanè, & amabile tum superis, tum hominibus
caput, in quo summa pietas cum eximia doctrina,
& insigni eloquentia; excellens ingenium cum acer-
rimo judicio, & felicissima memoria; humanitas
cum gravitate; majestas cum modestia; virtutes
omnes cum incredibili splendore nitescunt; hunc
Roma per decennium divini verbi præconem, ex
sacro pulpite mirifica dicendi facultate verba fa-
cientem, non sine plausu, & jam à multis annis,
summi Pontifices cum sacro Cardinalium Collegio,
& Illustrissima Antistitutum corona non sine maximo
volupta-

voluptatis sensu audiverunt; hunc deinde communis omnium gratulatione Societas Iesu in Vicarium generalem cum futura successione, quantumvis invitum, & reluctantem elegit; nunc demum eandem Societatem feliciter regit: faxit Deus, ut diu!

II. Sed unum præsertim, quod Euphyandrum volo, non omittam; faxit Deus, ut aliquando par votis eventus succedat: hoc autem paucis expono: cùm enim multi sint, qui excellenti pollent ingenio; auctor essem, ut de principiis inter se primùm convenirent, tum singuli singularia, pro genio, argumenta discutienda, & pertractanda susciperent: v.g. in Physicis, unus de coloribus duntaxat ageret; aliis de sonis; ille de luce, & lumine; hic de magnete; non nemo de elementis: aliquis de metallis; alii seorsim de facultatibus sentientibus, de Plantis, de homine, de animalium generatione, de motibus, de statibus corporum sensibilibus, ut vocare soleo, de mixtis imperfectis; pari modo, in morali Philosophia, in Matheſi, in Theologia, vellem, ut singuli singulares tractationes aggredierentur, cùm vix unus omnia pro dignitate, & accuratè explanare posset: vix ac ne vix quidem credi potest, quantum inde res literaria caperet incrementum, & quantum ad graviores disciplinas promovendas præfatum consilium conferret; neque periculum esset, ut unus alteri contradiceret, cùm ex communibus principiis omnia deducerentur. Cæterum non tam librorum mole, quam rerum scriptarum pretio, & veritate, auctores censendos esse existimo.

C A P U T XV.

De Bibliotheca.

I. **E**T si Euphyander vivæ ad instar Bibliothecæ est, quod jam olim Augustinus in laudibus Hieronymi posuit; hoc tamen non facit, quin eam librorum copiam apud se habere debeat, quorum lectio-

lectione identidem recreetur; illam autem tam immensam, & vastam esse non curo, ut potius ad communem usum, quam ad privatum comodum congesta esse videatur; haec sunt magnificentiae regiae opera, quae Ptolomæos, Gordianos, aliisque hujusmodi Principes occuparunt, qui in construendis amplissimis Bibliothecis, nullis olim sumptibus ad Republicæ utilitatem pepererunt: nec etiam auctor essem, ut quadraginta aureorum millia in colligendis, congerendisque omnibus nostrorum auctorum libris insumeret; hanc enim summam quidam Bibliopola à Serenissimo Principe non ita pridem postulavit, interrogatus scilicet de prædictorum librorum pretio: ego aliquem delectum haberi volo; & pauci revera sunt, qui tot, ac tantos sumptus facere valeant: itaque ne huic officio defuisse videar, aliquot selectos libros in certas classes distinguo; non omnes quidem, cum id consilii non sit, sed nonnullos duntaxat ex iis, qui mihi notiores fuerunt; hinc fortè accidit, ut aliquos, etiam ex optimis omiserim: quod certè nec arte, nec data opera factum à me fuit; adde quod nemini leges præscribere ausim, nec meum sensum tanti esse puto, ut eum aliorum sententiae præferendum esse judicem; sed plures extuis appellasti, inquies: quid tum illi certè familiares sunt; quamquam alios non omisi, quos magis utiles esse judicavi; imò plures ex nostris reticui, sive quia alios anteponendos esse putavi, sive quia, ne sumptus multiplicarem, libros multiplicare non licuit.

2. In duas supra viginti classes Euphyandri Bibliotheca distinguenda est: prima Gramaticos complectitur, secunda Poëtas, tertia Rhetores, & auctores terza Latinitate insignes: quarta Eruditionem profanam, quinta Ecclesiasticam, sexta historiam profanam, septima Sacram & Ecclesiasticam, octava Theologos Scholasticos, nona controversiarum scriptores;

ptores ; decima Morales , undecima Positivos , ut
vocant , vel sacrorum Bibliorum Interpretes ; duo-
decima jus Canonicum , decima tertia Civile , deci-
ma quarta Philosophiam : decima quinta Moralem :
decima sexta naturalem historiam , decima septima
Mathematicos , decima octava Geographos , deci-
ma nona Chronologos ; vigesima Patres , vigesima
prima libros pios ; vigesima secunda varios . Quia verò
sæpè accidit , ut idem auctor , qui varia scripsit , ad
diversas classes pertineat , ne idem sæpius auctoris
nomen recurrat , & ne ejusdem auctoris lucubratio-
nes , & opera in diversas partes distrahabantur , illum
semel duntaxat , appellabo . Quod verò ad ordinem
pertinet , non multum curabo vel antiquiorem , vel
doctiorem in eadem serie aliquando postponi ; nec
enim in indice librorum recensendo , ulla hujusmo-
di minutiarum ratio habenda est , nec ullum jus
ordinis prærogativi in citationibus habetur .

3. Prima Classis Grammaticorum est ; in hac
autem sunt : Despauterius , Alvarus , Dictionaria Mo-
neti , Roberti Stephani , Morelli , Fœlicis , Pomey ,
Calepinus , Constantinus , Delectus Moneti , Appa-
ratus , Phrases Manutii , Formulæ Brissonii , Gram-
matica Clenardi , & Gretseri , Prosodia Smetii , Caballi ,
Minerva Sancii , Riccioli , Textor , Lexicon Scapu-
læ , Dictionaria , Poëticum , & Geographicum , The-
saurus uterque Stephani , Poëtica Ariotelis , Sca-
ligeri , Vossii , Gallutii . In secunda Poëtæ versan-
tur , tum antiquiores , ut Virgilius , Lucretius , Ovi-
dius , Horatius , Catullus , Tibullus , Propertius , Si-
lius Italicus , Statius , Lucanus , Ausonius , Manili-
us , Juvenalis , Seneca , Claudianus , Sidonius Apol-
linaris ; tum Recentiores : ut Jovianus Pontanus ,
Sanazarius , Fracastor , Buchananus , Stephonius ,
Boitæus , Millæus , Heinsius , de Bussieres , Dona-
tus , Purcharellus , Rogatus , Vallius , Badius Gui-
nisius , Bidermanus , Casimirus , Ionius , Masculus ,
Mam-

Mambrunus, Rapinus Sidonius, Hoschius, Sautellus, Iosseus Vavassor, Magnesius, Cauffinus. Petavius, Celotius, Giatinus, Joseph Simonis; his adde Plautum, Terentinum, Raimundum, Hugonem, &c. Tertia habet Ciceronem, qui ferè ad instar omnium est; huic tamen accedunt Quintilianus, Caufinus, Cyprianus, Soarius, Valaderius, Pomey, Pariotus, Vuccherus, Sadoletus, Longolius, Osorius Episcopus, Manutius, Muretus, Caulerius, Fracastor, Prolusiones Stradæ, Palatinum eloquentiæ, Orationes Tarquinii, Perpiniani, &c.

4. Quartæ Classis sunt, Plutarchus, Philo, Pausanias, Athenæus, Ælianus, Lucianus, Valerius Maximus, Diogenes Laërtius, Victorius, Photius, Policianus, Solinus, Turnebus, Budæus, Alexander ab Alexandro, Tiraquellus, Thesaurus Criticus, Rodiginus, Suydas, Scaliger, Volaterranus, Cerdà, Pontanus, Raderus, Servius, Polyanthea, Maiolus, Officina Textoris, Sigonius, Possevinus, Rosinus, Lipsius, Valtrinus, Pyerius, Giraldus, Tipotius, Cauffini Symbola, Pomey, Savedra, Goltzius, Gallia Metallica, Vossii, Salmasii, Grotii opera adde Theatrum vitæ humanæ, Quintæ verò sunt, Concilia, Sirmondus, Franciscus Turrianus Beccani opuscula, Gretserus, Canisius, Serarius, Cresolius, Scribanius, Alcuinus, Durante, Scortia, Berno, Aimo, Gelotius de Hierarchia, Allier, Saufferii Opera, Arcadius; in sexta sunt Herodotus, Thucydides, Xenophon, Diodorus, Justinus, Dionysius Halicarnassæus, Salustius, Polypiusr, Gæsar, Livius, Florus, Tacitus, Paterculus, Curtius, Dio, Svetonius, Historia Augusta, Ammianus, Iornandes, Paulus Diaconus, Landulphus, Orosius, Luitprandus, Zosimus, Marcellinus, Procopius, Gregoras, Zonaras, Nicetas, Agathias, Europalates, Theophanes, Cedrenus, Chalcondylus, Frisingensis, Vispergenfis, Sabellicus, Villanus, Nauclerus, Blondus, Iovius,

Ref-

Respublicæ, Daviti Mundus, Petavii rationarium pro Gallicis, Gregorius Turonensis, Ammonius, Eginarthus, Guaguinus, Belforetius, Commineus, P. Æmilius, Peguillonus, Thuanus, Hogerius Du-haillan, de Serres, Froissart, Duplex, de Bussiere, Duchesne, Gramontius, Avila, Mezeray, Tarau, Florus Gallicus, Eranciscus; Krantzius, pro Borealibus, pro Anglicis Matthæus Paris, Polydorus Virgilius; Hector Boethius pro Seccicis; Signonius pro Italicis; pro Hispanicis, Mariana cum aliis: his accedunt Famianus Strada, Maffejus, Guiardiinus, Morinus, Sanmartani Fratres, d' Attichi, &c.

5. In septima sunt, sacra Biblia, Josephus, Salliani, & Baronii annales, Spondanus, Anastasius, Onufrius, Ciaconius, Platina, Eusebius, Tripartita Gassiodori, Socrates, Sozomenus, Nicephorus Calixtus, Theodoretus Evagrius, vitæ Patrum, Surius, Trithemius, Historia Societatis, & Bartoli, Bellarminus de script. Ecclesiast. Alegambe, Gualterius, Italia facta, Gallia Christiana, Historia Tridentini Pallavicini. In octava D. Thomas, Albertus magnus, Alensis, D. Bonaventura, Magister, Henricus, Ægidius Romanus, Scotus, Durandus, Herwæus, Paludanus, Baco, Maironis, Ochamus, Scotus, Cajetanus, Melchior Canus, Bagnes, Molina, Valentia, Suarez, Vafquez, Titelmanus, Tannerus, Ruys, Goninch, Lessius, Petrus à S. Joseph, Ripalda, Perez, Præpositus, Isambert, Duvallius, Gamacheus, de Lugo, de Rhodes, Martinonus, Amicus, Ariaga, Oviedus, Sylvius, Fasolus, Meratius, Esparsa, P. Daniel Carmelita: In Nona Valdenlis, Bellarminus, Becanus, Annatus, Anti Jansenius, Dechamps, Duperron, de Barrault, Richeomus, Gualterius, Albertus, Pighius, Horantius, Cochleus, Echius, Malderus, Feuardentius, Stapletonius: in decima Sanchez, Castro Palao, Bonacina, summa Toleti, Salas de contractionibus, Bardellus, Fagundes,

des, Fragosus, Sayrus, Layman, & Poncius, Gibalinus, Thesaurus, & nonnulli alii.

6. In undecima Liranus, Hugo Cardin, Abulensis, Salmeron, Mendoza, Emmanuel Sa, Tirinus, Menochius, Maldonatus, Jansenius Gandavensis, Cornelius à lapide, Sanctius, Toletus, Columbi, Lorinus, Pererius, Justinianus, Ribera, Serrarius, Catena Possini & Corderii. In duodecima, Jus Canonicum, scilicet Decretum Gratian Decretales, Clementinæ, Extravagantes, cum commentariis, Bullarium, Innocentius quartus, Panormitanus, Navorus, Deciliones Rotæ, Barbosa: in decima tertia, Corpus juris Civilis, Lexicon juris: in decima quarta Aristoteles, Plato, Conimbricenses, Gassendus, Iavellus, Ariaga, Oviedo, Cartesius, Licetus, Albertinus, Dofsetus, Mendoza, Teles: in decima quinta, Seneca, Tarquinius Gallutius, Iavellus, Pavonius. Theophilus Raynaudus & cuncta ejusdem opera, Adamus Contzen, Coiffeteau, la Chambre, le Moine, Senault, Sillonus, Antonius Perez, Dofsat, Baconius, &c. in decima sexta, Plinius, Diocorides, Hippocrates, Cœsalpinus, Dalechamp, Aldroandus, Redius, Agricola, Boëtius de Bood, Rondeletius, Cæsius, Laurentius, Hervæus, Baconius, Boile, Riolanns, Fabricius: in decima septima, Euclides, Archimedes, Apollonius, Pappus, Clavius, Valerius, Vieta, Ghetaldus, Torricellus, Gregorius à sancto Vincentio, Leotaudus, Tacquetus, Diophantus cum commentariis Bacheti, la Faille, Lucas Valerius, Guldinus, Nonnius, Blancaurus, Betinus, Ptolomæus, Tycho, Copernicus, Kepler, Longomontanus, Lanspergius, Ricciolus, Vitellio, Aguillonius, Abbas Maurolicus, Borellus, Ubaldus, Galileus, Bulialdus, La Lovera, De Billi, Vivianus.

7. In decima octava Ptolomæus, Strabo, Atlas major, Bertius, Cluverius, Ortelius, Labbe, Philippus Brietius, Leander Albertus, Magius, Massenus,

nus, Ricciolus, Martyrologium Geographicum, Geographia sacra. In decima nona, Joseph Scaliger, Petavins, Gordonus, Genebrardus. In vigesima prima, Gratanensis, Rodriguez, Caussinus, P. Ivo, Haynefuius, Saniurius, Suffrenus, Thomas à Kempis, Gerson, Idiota, Salvianus, Confessiones Augustini, Opuscula Bonaventuræ, D. Bernardus, Drexius, De Sales, de Ponte; huc revoca sacros Oratores. In ultima, Mersennus, Kirkerus, Fourerius, Michelinus, Scheyner, Zucchius, adde experientia Florentina, alios adjungere potes: hi tamen nisi fallor, sufficiunt; sunt enim auctores selecti, quanquam multos omisi, quos forte inferioris notæ, censendos non esse, aliquis jure putaret; omisi autem, non sàne per contemptum: nec enim is ego sum, qui vel minimum parvi faciam; utpote certus, nullum ferè librum esse, ex quo multa utilia excerpti non possint; immò Heroicas illas fabulas ex hac Bibliotheca non excluderem, v. g. Argenidem, Cassandram, Polexandrum, Hilbrain, Cyrum, Cleopatram, & alios hujusmodi.

8. In hac Bibliotheca, præter libros, aliquot organa Mathematica desiderarem, v. g. quadrantes Geometricos, Sextantes, Astrolabia, Sphæras, utrumque Globum, Cælestem, & terrestrem, pyxides magneticas, radium Geometricum, quadratum, vel trigonum, Armillas, annulos, circinos variis generis, regulas proportionum, Horologia, fontes artefactos, Telescopia, vasa pneumatica, microscopia, vitrum ustorum, polyoptrum, specula omnis generis, cauum, conuexum, cylindricum, parabolicum, & alia id genus, quæ non solum animos recreant, verum etiam cum opus est, illorum opera adhibetur: nonnulli antiquas icones, & numismata congerunt; alii doctorum hominum imagines depingi curant; alii demum variis ornamentiis suas Bibliothecas illustrant, quæ reyerâ, ut valde laudo,


ita parum necessaria esse puto, ut in ea Euphyander
novos sumptus insumat: modò libros habeat, & pau-
ca organa; reliquis sumptibus parcere poterit.

C O N C L U S I O.

HÆc sunt, ingeniose Lector, quæ ad Euphyandri aliquantulam institutionem pertinent; si è re tua sunt, utere; sin minus; æqui, bonique consule: nempe, si facultas mihi defuit, voluntas certè non deest; hæc ni fallor, plus ingenii, & industriæ po-
stulabant, quām in me ipso sic; igitur si res pro votis
minimè successit, quid mirum? vires meas nō st̄i,
magnis certè ausis impares; saltem conatum lauda.
Cæterū, sive amphora, sive urceus exierit, quid-
quid id tandem est, tuum est. Vale, & Musis alacri-
ter vaca. Sed de Medicis, inquieres, altum ubique
silentium: hos ego inter Physicos recenseo; si quid
artis præterscientiam habent, ad eam descendere no-
nisi: nam eodem jure, mechanicæ omnes sibi locum
in hoc opusculo postularent; quod tamen, quām ab
Euphyandro alienum sit, nemo non videt. Vale ite-
rum, & da operam, ut per te, quod ego ma-
xime spero, res literaria magnum
capiat incrementum.

F I N I S.





SYNOPSIS OPERIS. LIBER PRIMUS.

De dotibus à natura Euphyan-
dro insitis, vel extrinsecus
accedentibus.

Cap. I. *D*e interiori corporis ba-
bitu. pag. I.

II.	<i>De indole animi.</i>	4.
III.	<i>De cerebri constitutione.</i>	8.
IV.	<i>De memoria.</i>	12.
V.	<i>De judicio.</i>	17.
VI.	<i>De ingenio.</i>	21.
VII.	<i>De aliis animi dotibus.</i>	26.
VIII.	<i>De viribus corporis.</i>	31.
IX.	<i>De fortunis.</i>	34.
X.	<i>De parentibus.</i>	36.
XI.	<i>De magistris.</i>	41.
XII.	<i>De temporum ratione.</i>	46.
		L.

LIBER SECUNDUS.

De acquisitis, & sponte, ac studio
comparatis.

Cap. I.	<i>D</i> E Libertate animi.	pag. 50.
II.	<i>De applicatione ad studia.</i>	64.
III.	<i>De diligentia.</i>	57.
IV.	<i>De constantia & patientia.</i>	60.
V.	<i>De amore veritatis.</i>	63.
VI.	<i>De facilitate agendi.</i>	66.
VII.	<i>De methodo.</i>	70.
VIII.	<i>De statu & conditione personæ.</i>	74.
IX.	<i>De sociis, & amicis.</i>	78.
X.	<i>De auxiliis accersendis.</i>	81.
XI.	<i>De impedimentis arcendis.</i>	85.
XII.	<i>De opiniorum delectu.</i>	89.
XIII.	<i>De victus ratione.</i>	93.
XIV.	<i>De somni modo.</i>	97.
XV.	<i>De tempore ad studia magis op-</i> <i>portuno.</i>	101.
XVI.	<i>De commodiore loco.</i>	105.
XVII.	<i>De corporis cura.</i>	109.
XVIII.	<i>De remissione, & relaxatione</i> <i>animi.</i>	113.

LIBER TERTIUS.

De disciplinis, quas Euphyan-
der sibi comparare
debet.

Cap. I.	<i>D</i> E <i>stylo.</i>	pag. 117.
II.	<i>De Poësi.</i>	127.
III.	<i>De Rhetorica.</i>	135.
IV.	<i>De Geographia.</i>	146.
V.	<i>De Chronologia.</i>	154.
VI.	<i>De Historia.</i>	162.
VII.	<i>De reliqua eruditione.</i>	180.
VIII.	<i>De Geometria.</i>	186.
IX.	<i>De Philosophia.</i>	201.
X.	<i>De reliquis Matheos parti- bus.</i>	212.
XI.	<i>De Theologia.</i>	220.
XII.	<i>De Prudentia utriusque ju- ris.</i>	230.
XIII.	<i>De Politica.</i>	240.
XIV.	<i>De Scriptione.</i>	248.
XV.	<i>De Bibliotheca.</i>	256.



